1.10.0

C 35824

fine tall copy

Williams 1347

Case

Hamilton Beckford copy

fetched about £10

£14

PERSIUS ENUCLEATUS,

SIVE

COMMENTARIUS

Exactissimus & maxime perspicuus

IN

PERSIUM

Poetarum omnium difficillimum.

Studio

DAVIDIS WEDDERBURNI,

SCOTI, ABREDONENSIS.

Opus posthumum.



AMSTELODAMI,

Apud Danielem Elzevirium.

CIƆ IƆC LXIV.

Mich. Richey. 1724.

AD LECTOREM.

EN (Candide Lector) fratris mei charissimi in Persium commentarium diu desideratum. Novi plerosque notas in Persium in lucem emisisse. At opus hoc eorum annotationibus neutiquam cedit: nam illius sunt, qui in humaniorum literarum palestra & Musarum viridario diu maxima cum laude versatus est. Lege & revolve, & tibi gratum & acceptum fore nullus dubito. Vive, vale, & redama

Tui amantissimum

ALEXANDRUM WEDDERBURNUM.

VITA PERSII.

PErsius Flaccus Volaterris Hetruriæ oppido natus, claruit iisdem fere temporibus, quibus Domitius Nero Imperium urbis Romæ suscepit. In Grammatica præceptorem habuit Palæmonem, in Rhetorica Flavium Virginium. Cum sedecim esset annorum tradidit se Annæo Cornuto, qui philosophiæ studio excelluit, illumque magna diligentia & singulari observatione coluit, cumque eo familiarissime diu vixit. Decessit stomachi vitio in via Appia in suis prædiis, octavo Calend. Decembris, anno Neronis octavo, cum vixisset annos viginti octo.

Summa sex Satyrarum Persii.

1	2	3	4	5	6
Vates:	*vota:*	*puer:*	*præcox Nero:*	*liber:*	*avarus.*

AULI

AULI PERSII FLACCI

In suum SATYRARUM LIBRUM, PROLOGUS.

1 NEc 2 *fonte labra prolui Caballino;*
Nec in bicipiti 4 somniasse 3 Parnasso
Memini, ut repente sic Poëta prodirem.

1 *Nec fonte, &c.* Argumentum. In hoc prologo illorum vesania arguitur, qui literarum & omnis eruditionis rudes cum essent, poetarum tamen nomen (quæ insignis erat eorum impudentia) vendicabant: perinde ac si totâ Aganippen exhausissent. Atque hoc oblique & urbane sua extenuando agit.

Hujus prologi duæ sunt partes; priore negat se poetam, seque ad tantam gloriam ne aspirare quidem fatetur: ac proinde præmia poetis debita aliis æquo animo relinquit. 2 *Fonte Caballino.* Hippocrene fons est in Bœotia, non procul ab Helicone monte, quem poëtæ fabulantur factum fuisse ungula Pegasi equi alati; cui fabulæ occasionem videtur ministrasse Cadmus, qui cum in Bœotia locum urbi condendæ quæreret huc illuc obequitans, hunc fontem primus creditur invenisse. Et quoniam Cadmus literarum inventor creditur, factum est, ut hic fons Musis sacer habeatur. Persius ad verbum reddens græcam vocem, fontem Caballinum vocat: nam ἵππος nobis caballum seu equum sonat, & κρήνη fontem. Quin & poëtæ fabulabantur, etiam eos qui de fonte hoc biberent, repente quodam afflatu Musarum & Apollinis poetas fieri. 3 *Bicipiti Parnasso.* Parnassus mons est in Phocide duos habens vertices, nempe Cithorea & Hyampeum; hinc biceps appellatur, estque Musis & Apollini sacer. Quemadmodum fons ille, de quo modo dicebamus, potus credebatur facere poetas; sic mons hic eos, qui eo conscenderent, aut inibi versarentur. 4 *Somniasse.* Quoniam solebant ægroti in Æsculapii vel Apollinis templis incubare, ut insomnia captarent, quibus morborum remedia præscribi credebant: ita fabulantur poetæ, eos qui in Parnasso somniarent, repente poetas existere. Hinc ait Hesiodus se poetica facultate donatum fuisse, cum pasceret oves in Helicone.

5 Heliconidasque, pallidamque 6 Pyrenen
Illis relinquo, quorum 7 imagines lambunt
8 Hederæ sequaces: Ipse 9 semipaganus
Ad 10 *sacra vatum carmen affero nostrum.*
11 *Quis expedivit* 12 *psittaco suum χαῖρε;*
Corvos quis olim concavum salutare?
Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis ingenique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.

5 *Heliconidasque.* Helicon mons est Bœotiæ Phocidi vicinus, non procul à Parnasso, qui & ipse Apollini sacer est & Musis: unde Musæ Heliconides dictæ sunt. 6 *Pirenen.* Pirene fons est ad radicem Acro-corinthi, Musis itidem sacer: pallida autem dicitur ab effecto, quia poetæ qui de fonte hoc bibissent, studiorum assiduitate pallorem contrahebant. 7 *Imagines.* Fuit majorum institutum præclarum dedicandi in bibliothecis qua publicis, qua privatis, imagines & statuas doctorum, easque semper virente hedera coronandi, quod nobilium poetarum laudes semper vireant. 8 *Hederæ sequaces.* Hedera herba est perpetuo virens, quæ cum per se stare non possit, arboribus & muris adhæret. Inde (ut quidam volunt) ab hærendo hedera dicta est, quod hæreat semper & sequatur quicquid proximum est. Hinc hederæ sequaces juxta illud Virgilii —— *atque hanc sine tempora circum Inter victrices hederam tibi serpere lauros.*

9 *Semipaganus.* A pago dictus est rusticus paganus; hinc semipaganus, semirusticus, semidoctus. 10 *Sacra vatum.* Commune est omnium artium, ut sacra habeant sibi propria: hinc apud poetas passim sacra Musarum. Nihil vetat hunc Persii locum ita accipere. Quia tamen consuetudo fuit Romæ, ut in æde Apollinis docti convenirent, & sua scripta eo deferrent, huc videntur poetæ verba esse referenda: nam in ea æde poetarum recitationibus maxime locus erat. *Paraphrasis.* Nec labra mea de Hippocrene Musarum fonte prolui: nec in Parnasso somniavi, ut repentino Musarum vel Apollinis afflatu poeta fierem. Musas fontesque ac montes Musis sacratos illis relinquo, quibus ab ingenii nobilitate statuæ in Apollinis Palatini templo sunt positæ, non sine hederaceis coronis, quippe quod eorum laus semper & ubique vireat; ipse semirusticus, adeoque inchoatus quasi poeta, ad Apollinis Palatini ædem, in qua docti conveniunt, carmen hoc nostrum defero, ut doctorum judicium modeste ibi experiar. 11 *Quis expedivit.* Argumentum. Posterior est prologi pars, qua aperte præ se fert, pro poetis se non habere eos, qui populi Romani æstimatione summi in eo genere habebantur: quippe quod non tam naturæ instinctu (qui in genuino poeta potissimum requiritur) quam lucri captandi studio animum ad poesin appulerint.

12 *Psittaco.* Paucæ quædam inter aves reperiuntur disciplinæ capaces; quas cibo prius abstentas magistri partim verberibus, partim blandiente studio, humanam vocem cogunt imitari. Cum autem ad loquelam instituerentur hæ aves, ut plurimum salutantium verba, vel singula, ut *ave*, *salve*, χαῖρε; vel paulo plura addiscebant. Tres autem ejus generis à Persio nominantur, psittaci, picæ, corvi. Persius cum istiusmodi avibus componit famelicos poetas. Ut enim illæ discant loqui, aut potius tale quid conari, naturæ suæ vim faciunt: sic poeticum artificium non natura, quod oportuit, sed fames hos docet. At dices Horatium ita de se loquutum esse, —— *paupertas impulit audax, Ut versus facerem.* Respondeo, cum hac Horatii paupertate & naturæ & eruditionis adjumenta fuisse conjuncta, at hi, de quibus hic Persius, naturæ dotibus neutiquam erant instructi.

Quod

Quod si dolosi spes refulserit nummi:
Corvos Poëtas: & poëtrias picas.
Cantare credas [13] *Pegaseium* [14] *melos.*

13 *Pegaseium.* Vox quinque syllabarum est per diæresin Ionicam, ut satyra prima *Troiades.* Pegasus autem equus fuit alatus, quo vehebatur Bellerophon. De Pegasi hujus ungula & fonte inde excusso supra, ubi de fonte Caballino. 14 *Melos.* Melos est cantus suavitas ex apta vocis modulatione & flexu proficiscens; à Persio pro suavissimo carmine hic sumitur. *Paraphrasis.* Quis misellos & infelicis ingenii poetas ad Musarum, tanquam ad egestatis suæ asylum compulit? nempe fames & lucri spes, & quidem picis, psittacis, corvis aliisque id genus avibus non incommode eos compares. Sicut enim aves illæ ut discant loqui, naturæ suæ vim faciunt: ita hi ut versum pedibus instruant, genio atque ingenio destituti, egestate coguntur: atque ut illæ aviditate cibi qui ostentatur, in loquelam hominum erumpunt, ita & isti in Musarum adyta penetrare coguntur spe lucelli infelicis: cujus si luculentior aliqua spes affulserit, tum vero usquεadeo superbiunt, ut caput cælo inferre sibi videantur: quin & ubi domesticæ paupertatis ærumna semel fuerint levati, si eos sua scripta recitantes aut prædicantes audias, prima fronte incomparabiles poetas eos esse censeas, quique omnium priorum luminibus obstruxerint: cum tamen revera adeo indocti & absoni poetæ sint, ut corvos & picas referant, quibus naturalis vox non solum ingrata, sed & infausta veteribus habebatur, præsertim corvis cum glutiunt.

A. PERSII FLACCI
SATYRA PRIMA.

Argumentum.

Prima hac ſatyra in eos invehitur Perſius, qui literis male utuntur, ſive ii Poetæ ſint, ſive Oratores. Hos ſatyrico ſale perfricat, ut ipſa eruditionis venena.

Dividitur hæc ſatyra poſt exclamationem in tres partes. Prima colloquium habet Monitoris & Perſii. Secunda docet totam ſtudiorum rationem eſſe corruptam Romæ, ſeu recitatores ſeu auditores, ſeu poetas ſeu oratores, ſeu nobiles ſeu plebeios, ſeu divites ſeu inopes ſpectes; & ex his alios directe, alios ſtrictim & obiter quaſi taxat. Tertia habetur epilogus. Initium Satyræ abrupte fit ab exclamatione.

1 O *Curas hominum! ô quantum eſt in*
rebus inane!
2 M. *Quis leget hæc?* P. *min' tu iſtud*
ais? M. *nemo Hercule.* P. *nemo?*
M. 3 *Vel duo, vel nemo. turpe &*
miſerabile. P. *quare?*
Ne mihi 4 Polydamas, & Troiades 5 Labeonem

1 *O curas hominum! O quantum eſt in rebus inane!* *Senſus.* O quàm vana ſunt ea omnia quæ mortales agimus! O quantæ vanitati hujus mundi res ſunt obnoxiæ! &, ut Solomon loquitur, *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Atque hæc exclamatio generale quaſi argumentum eſt non modo hujus ſatyræ, ſed & reliquarum deinceps ſequentium, aut aliarum quarumlibet.

2 *Quis leget hæc? &c.* Argumentum. Jam colloquium habemus, de quo diximus, Monitoris & Perſii: quo quidem Monitor conatur poetam à ſcribendo deterrere. Huic regerit Perſius recte ſe animum ad ſcribendas ſatyras appellere ſpreto vulgi judicio, potentum gratia, ipſiuſque adeo Neronis: periculo etiam, quod ab illo & cæteris magnatibus oſtendebatur, neglecto, licet è Monitore audierit omnem ſibi veniæ ſpem præcidi. 3 *Vel duo vel nemo.* Id eſt, quam pauciſſimi. Imitatur hic Perſius familiaria Græcis dicendi genera, ἢ τις ἢ ȣ̓δεὶς, & ἢ ὀλίγοι ἢ ȣ̓δεὶς, quoties ſummam raritatem volunt indicare. 4 *Polydamas.* Nobilis Trojani nomen proprium eſt, qui Antenoris filius urbem Trojanam Græcis dicitur prodidiſſe, una cum patre & Ænea Per Polydamanta autem hic Perſius intelligit Neronem: ut per Troadas vel Troiadas nobiles Romanos, at molles illos & effœminatos. Illa enim ætate, qui ab antiquo erant cives Romani Trojanam originem affectabant, ut à fæce novorum civium ſepararentur, qui à temporibus Julii Cæſaris civitatem & tribum fuerant adepti. 5 *Labeonem.* Fuit hic Labeo ineptiſſimus poeta. De ineptiſſima Iliados verſione ab illo edita, præter Perſii & vetuſti interpretis teſtimonia, nihil habemus compertum.

Præ-

Prætulerint. nugæ. non si quid turbida Roma
Elevet, accedas: examenve improbum in illa
Castiges trutina: nec te quæsiveris extra.
Nam 4 *Romæ quis non? ah, si fas dicere! sed fas*
Tunc cum ad canitiem, & nostrum istud vivere triste
Aspexi, & 1 *nucibus facimus quæcunque relictis:*
Cum sapimus 2 *patruos, tunc, tunc, ignoscite.* M. *nolo.*
P. *Quid faciam? sed sum petulanti splene* 3 *cachinno.*

1 *Nucibus relictis.* Inter puerorum oblectamenta fuerunt nuces: hinc apud Persium nuces relinquere, pro vir fieri vel virilia negotia capescere.

2 *Patruos sapimus.* Patruus patris frater, quod quasi patris loco sit. Et quia patrui rigidi censores plerumque sunt, hinc patruus pro gravi censore aut objurgatore sumitur ab Horatio & Persio.

3 *Cachinno.* Cachinnus solutus risus, à sono risus confictum vocabulum. Qui in cachinnos effusus est, is cachinno dicitur. Quia vero intemperantia risus à splenis magnitudine sumitur, teste Plinio, hinc istud Persii —— *sed sum petulanti splene cachinno.*

Paraphrasis. In hoc colloquio duas personas Monitorem & Persium duabus initialibus literis distinguemus in hunc modum. M. Quis quæso, ô Persi, hanc tuam Satyram lecturus est? P. Mene alloqueris, Monitor? M. Nemo sane hanc tuam satyram leget, ac propterea scriptio tua supervacua est; nam scriptionis finis est lectio & utilitas lectoris; sublato hoc scriptionis fine operam inanem collocas. P. Eone res rediit, ut nemo meam satyram lecturus sit? M. Sane quam paucissimi, puta duo aut tres, aut potius quod prius dixi, nemo. Quod quidem turpe est & miseratione dignum, non modo quia nemini profuturus est hic tuus labor, verum etiam quia nullam auctori gratiam aut gloriam sit allaturus. P. Quid est cur turpe & miserabile esse pronuncies, si nemo meas satyras lecturus sit? nempe ita fortasse judicas, de existimatione fortunisque meis esse actum, si pessimus audiam poetarum, & libellos meos vel poematis Labeonis, quæ nemo legit, Nero & alii proceres postponant. Nugas agis, ô Monitor. Erras enim si in æstimatione bonorum aut malorum poetarum standum putas Magnatum Romanorum judicio: non enim talium judices sunt idonei. Etenim cum hodie Romanorum judicium non purum fontem referat, sed turbulentum potius rivum; æqua lance, & prout par est, meas satyras neque possunt pensitare, neque volunt. Miror ergo, cur me velis ex corrupto Romanorum judicio pendere. Quod si me audias, eorum sententiæ ne accede, neque id eleve, aut quasi leve aliquod poema rejicias; quod ii rejiciendum putant; sed teipsum potius consule, & in examinandis scriptis à tuo ipsius potius judicio, quàm ab eorum censura pende. Est enim sapientis, ut scriptis suis vel laudis vel culpæ nomen apponat, ad alium judicem non adire, sed ad rectam rationem intra se habitantem, & ad ejus obrussam dicta factaque exigere.

4 *Nam Romæ quis non?* Quod dixerat neutiquam esse Romanorum judicium sedatum, sed turbidum, pluribus deinceps id exequitur, in hunc modum,

dum. P. Etenim quis non Romæ est corrupti judicii, & indignus cujus rationem habeas? Quippe Romani nostri critici delitiis & luxu perditi, omnis virtutis & omnium artium honestarum osores sunt, de quibus tunc merentur pessime, cum illas contactu suo fœdant. Denique si à principe orsus singulos istorum consideres, omnes imperiti, omnes asini sunt. Ah si mihi liceret ex animi sententia in probrosam Neronis & reliquorum vitam invehi! Sed indignationem meam æquissimam metus inhibet. Sed enim cur me contineo? fas mihi sit: imo fas est in proposito scribendi satyras perseverare. Itaque quidquid isti judicaturi sint, ego satyras mihi scribendas esse judico, quoties ob oculos mihi pono quibus in studiis isti se occupent, jam inde ab eo tempore, cum ex ephebis excesserint ad ultimam usque senectutem, cum tamen graves & severi videri velint patrui aut tutores. Usqueadeo post transitum à puerilibus nugis ad virilia studia & negotia, tota vita à carceribus ad calcem male ab istis collocatur. Cum, inquam, senes hos intueor, quorum ætatem tristis gravitas comitari solet & debet, tunc fas esse judico urbem Romam satyrica libertate perstringere; quod cum facturus omnino sim, facti veniam peto. M. Eam vero ego haudquaquam tibi concedo. P. Ain vero, Monitor, nolle te veniam hanc mihi indulgere? quid ergo faciam? factus sum à natura cachinno: itaque velis nolis, ô Monitor, oblata re ridicula risum mihi oboriri necesse est. Quid enim risum magis meretur quam corruptissima eorum vita & corruptissima judicia? Cum ergo flagitiose adeo Romæ vivatur, mirari nemo debet bonorum liberam indignationem.

1 Scribimus [1] *Scribimus* [2] *inclusi*, *numeros ille*, *hic pede liber*,
Grande aliquid, *quod* [3] *pulmo animæ prælargus anhelet*:

inclusi. Secunda hæc satyræ pars est, qua invehitur in sui temporis poetas ac oratores, quod dicendi scribendique leges corrumperent, & literis ad inanem ambitionem abuterentur. Hujus secundæ partis sex sunt sectiones pro sextuplici affectatione; 1. laudis. 2. nimis exquisitæ elegantiæ in numeris, quæ Cacozelia dicitur. 3. grandiloquentiæ. 4. antiquarum vocum. 5. ineptiarum rhetoricarum, etiam in periculo capitis. 6. concentus rhythmici. Quæ omnia eo spectabant, ut poetarum & oratorum inanem laudem captantium ambitioni satisfieret. Prima ergo sectione recitatorum ambitio damnatur, 1. in musæis, 2. in auditoriis, 3. in conviviis. quin & alibi passim per totam satyram obiter & strictim hæc laudis ridicula affectatio taxatur. Vanitas in secessu & musæis duobus primis versibus proponitur.

Argumentum. His ergo duobus primis versibus proponit dicturum se de poetis ac oratoribus, qui cum grandia & sublimia scribere affectarent, tumida inflataque oratione veram eloquentiam corrumperent, docetque ab oratoribus & poetis promiscue hoc fieri.

2 *Inclusi.* Quia secreto & libero ab arbitris loco scribentibus opus est, ideo secedebant ad stylum Romani, & intra cubicula sua se continebant in lectulis lucubratoriis ibique studebant, ac versus aut orationes scribebant. 3 *Pulmo.* Pulmo est spirationis aut respirationis instrumentum, quod cum difficulter facimus, dicimur anhelare. Id autem accidit cum ex aliis causis, tum ex oratione longis periodis contexta, quæ recitari non possit absque vexatione spiritus & anhelitu, quo spectat hic Persii locus.

Paraphrasis. Seu carmen scribamus, seu prosa oratione quid concinnemus, magniloquentiam (quæ apex est facultatis dicendi) affectamus. Hinc oratio nostra adeo ampullata est, ut licet quis optimo pulmone sit, verba tamen grandia & periodos longiores non sine anhelitu pronunciare possit.

Scili-

1 Scilicet hoc 2 populo, 3 pexusque 4 togaque recenti,
Et 5 natalitia tandem cum Sardonyche albus,
6 Sede leget celsa, liquido cum plasmate 7 guttur
Mobile colluerit, 8 patranti fractus ocello.
9 Heic, neque more probo videas, neque voce serena

1 *Scilicet hoc populo, &c. Argumentum.* Supra fuit affectatio in musæis. Jam proditur in auditoria, ubi recitatorum vanitas primo proponitur, inde examinatur. Proponitur cum variis circumstantiis, quarum aliæ spectant recitatorem, aliæ auditores, ut videre est in textu. Hæc autem perstringens ostendit Persius finem cujus gratia plerique tum scribebant: simul mollitiem illorum commemorat. Finem docet fuisse non ut cuiquam prodessent: sed ut recitatione suorum scriptorum ingenii famam consequerentur. Ita malo fine rem per se laudabilem corrumpebant. Mollitiei duo argumenta commemorat, cultum nimium atque indecorum quoties ad recitandum prodibant: & in ipsa recitatione vocem fractam atque effœminatam & aspectum arte depravatum ad blanditiem. Duo igitur reprehendit in suorum recitationibus: rem ipsam primo, deinde rei modum. 2 *Populo.* Duplex fuit recitatio, alia domi amicis convocatis ad emendationem: alia publice in auditorio ad ostentationem, in quanta fieri poterat maxima corona, de qua hic Persius. 3 *Pexusque.* Recitaturi elegantiæ studebant, moris itaque fuit ut loti prodirent & candidati, pexa coma atque barba. 4 *Togaque recenti.* Togam recentem & à fullone candentem Romani assumebant die quovis festo, & publica aut privata solennitate, ut hic: at Græci pallium recens. 5 *Natalitia Sardonyche.* Mos ejus ætatis hominum, ut annulis manus ornarent: Aliquando etiam onerarent, in quibus pretiosissimæ gemmæ inclusæ, præcipue Sardonyches. Est autem Sardonix gemma ejusdem coloris, cujus unguis humanus carni impositus. Natalitia autem Sardonyx vel quæ solis diebus natalibus assumi solita, vel quæ natali esset accepta, cum munera missitabant amici & clientes. 6 *Sede celsa.* Veteres dicebant stantes, recitabant sedentes è cathedra aut pulpito. 7 *Guttur.* Magnam curam adhibebant recitatores, ut vox auditoribus placeret. Ideo Phonasci opera & medicamentis utebantur, ut arte vocem corrigerent, & formarent in melius. Imo (qui fuerunt effœminatorum mores) medicamentis his non tam fingebant quam corrumpebant vocem: adeo ut vox in canticum dissolveretur: quo fortasse respiciunt illa verba prologi, *Cantare credas pegaseium melos.* 8 *Patranti ocello.* Patrare, proprie est liberis operam dare: & cum olim honestum esset verbum significans aliquid inceptum ad finem perducere, ad obscœnitatem postea translatum fuit: hinc Boethius ait patrationem fractæ Veneris esse lachrymas. Ergo fractus patranti ocello, id est libidinanti & in lasciviam profuso.

Paraphrasis. Nempe, si diis placet, hæc tua scripta tanta cura elaborata in frequentissimo auditorum concursu leges è sublimiore cathedra; utque gratiam tibi concilies pexus & candidatus. Tandem vero post alia omnia ornamenta assumpta natalitia Sardonyche digitum ornabis. Quin & recitaturus medicamenta adhibes ad vocem fingendam, ut canora magis & auditoribus gratior evadat, oculosque in lasciviam resolvis. Sic denique vox & oculi totusque vultus & corporis habitus studio ad mollitiem componuntur, ut cum oratione effœminata convenientissime congruant.

9 *Heic, neque more probo, &c. Argumentum.* Hactenus circumstantiæ quæ recitatorem spectant, succedunt eæ quæ auditorum mollitiem depingunt. Hi nempe poetas recitantes non minus turpiter audiebant quam ipsi & fœde recitabant ac pronunciabant.

Ingentes trepidare ¹ *Titos, cum carmina* ² *lumbum*
Intrant, & tremulo scalpuntur ubi intima versu.
3 *Tun'* 4 *vetule auriculis alienis colligis* 5 *escas?*
Auriculis, quibus & dicas 6 *cute perditus: ohe!*
7 *Quo didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus*

1 *Titos.* Inter Romanorum prænomina honestissima erant Marcus & Titus. Ideo per Titos ingentes intellige nobiles Romanos, qui cives Trojugenæ haberi volebant.

2 *Lumbum.* Lumbus ea pars corporis est quæ spinæ inferioris quinque vertebras complectitur. Hanc veteres libidinis sedem agnoscebant: aut per lumbum renes significa domicilium quasi libidinis.

Paraphrasis. In his recitationibus videas Romanos proceres incondita voce ut homines levissimos acclamare. Exiliunt enim cum indecora & gestiente lætitia ad laudandum. Atque interea nihil probitatis aut verecundiæ in gestu, nihil masculum aut laudabile in voce Tantus enim amor jam Romæ est teneræ & effœminatæ vocis, ut acclamationes instar mollissimorum canticorum exeant, postquam obscœnus recitator in animis audientium pruritus obscœnos excitavit. unde in eorundem animis nascitur voluptas quædam titillans contraria gravitati & constantiæ.

3 *Tun' vetule, &c. Argumentum.* Ad examen revocat hanc recitatorum vanitatem, quæ tanta est, ut in scholis etiam (quod obiter notat Persius) putida laus & applausus captetur Examen hoc dialogismum habet, & duas personas, Persii nempe & Patroni nescio cujus, quem subinde inducit defendentem ea quæ taxat in recitatoribus istis, ut castigati si fieri possit, resipiscant. Ante omnia dictum est eos qui scriberent, non alio fine scripsisse, quàm ut laudarentur Hoc studium vanum esse ostendit Persius, cum ii quibus placere studeas, indigni sint quorum judicia tanti facias. 4 *Vetule.* Neronem hic maxime taxat. At dixeris, Nero vetulus nunquam fuit. Respondeo, Vetulum Persius satyrice dixit pro eo qui vir ætate, mente puer. Sic Juvenal. Sat 13 —— *dic senior bulla dignissime.* Quin ne videatur Neronem adhuc adolescentem denotare, ad vitandum quod inde fortasse instaret periculum, Vocem hanc *Vetule* interserit. 5 *Escas.* Dicta quæ placent auriculis, tanquam esca sunt. Plaut in Euclione, *nimium libenter edi sermonem tuum* Et in Cistell. *Istuc mi cibus est quod fabulare.* 6 *Cute perditus.* Cute perditi sunt ii qui aqua intercute laborant. Sed convitium corpori dictum ad animum transferri debet. Revera enim homines hydrope laborantibus similia patiuntur Sicut enim ab his quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ, ita illis vanæ gloriæ & laudis insatiabilis est sitis

Paraphrasis. Tune, ô stulte, & eo quidem stultior quod in stultitia consenuisti, adeo amens es ut versus faciendi laborem sustineas, non propter amorem literarum, aut ullam adeo voluptatem quam ex studiis capias; sed ut tuorum scriptorum recitatione aliis voluptatem, tibi gloriolam parias? tantumne laboras, ut aliorum auribus placeas? at quibus quæso auribus? nempe eorum qui adeo sine judicio laudant quos laudant, ut cogaris vel invitus id agnoscere: Quippe qui sæpe sis expertus illos tua scripta encomiis ita immodicis & quæ omnem fidem longe superent extollere, ut te licet vanissimum & gloriæ sitientissimum suppuderet adeo, ut ipse pudor hanc vocem exprimere tibi debeat, ohe jam satis est laudis, imo plus satis 7 *Quo didicisse, &c. Argumentum.* Verba patroni sunt defendentis recitatorum vanitatem à fine studiorum Laus studiorum nostrorum finis; cur non ergo appetenda?

Innata.

Innata est, rupto jecore exierit [1] *caprificus?*
[2] *En pallor,* [3] *seniumque, ô mores! usque adeone*
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
[4] *At pulchrum est,* [5] *digito monstrari, & dicier, hic est.*
Ten' [6] *cirratorum centum* [7] *dictata fuisse*

1 *Caprificus* Caprificus ficus est ex sylvestrium genere nunquam maturescens: dicitur autem caprificus à carpendo, quod parietes & maceries atque adeo saxa ipsa sibi obstantia discerpat. Nota autem hic geminam similitudinem: 1, ut fermentum in massa contineri nequit quin det significationem sui, & massam fervefaciat & attollat, tandemque erumpat; ita eruditio in animo levi & inanem gloriam ambiente habitare non potest, quin ut fermentum attollat illum atque inflet. 2, ut caprificus in saxorum commissuris enata impediri nequit, quo minus saxa discutiat, ita vani hominis eruditio non potest non erumpere, quippe quæ agnosci laudarique ab omnibus cupiat.

Paraphrasis. Si gloria non sit studiorum finis, quis tandem erit? & quid scientia quam adeptus sis, nisi proferatur in publicum? duplicis similitudinis vim supra expressimus. Obiter nota non constare sibi veteres in assignandis cuique affectui sedibus v. g. pudorem modo in oculis habitare dicunt, modo in fronte: sic & amorem vanæ gloriæ modo in pulmone collocat Persius; hinc illud —— *Pulmonem rumpere ventis*; modo in jecore, ut hic.

2 *En pallor seniumque, &c. Argumentum.* Hæc particula increpationem & indignationem Persii continet, ob vanitatem prioris patrocinii. 3 *Seniumque.* Ut supra docuimus, licet cum Nerone hic agat Persius, cum tamen ut senem hic etiam designat. Et quidem fortasse apud Romanos Persii seculo non minus senes non pauci damnandi ob vanum hoc poetandi studium, quam vel Nero ipse, vel alii consimilis ingenii & indolis juvenes. Hinc illud supra, *sed fas tunc cum ad canitiem, &c.*

Paraphrasis. Ergone in ea tempora devenimus, ut non alium in finem literis insudetur, quam ad ostentationem ingenii? ideone genius fraudatur, & ex laboris assiduitate pallor contrahitur, & in ipsa juventute ex pallore vani hi consenescunt? usque adeone inexplebilis hæc laudis cupiditas animo tuo insedit, ut in fama vulgi & hominum lingua omnium studiorum tuorum finem statuas? perinde ac si quemadmodum occultatæ Musicæ nullus est respectus, ita nec scientiæ ac eruditionis, nisi famæ servias & in aliorum notitiam scripta tua perveniant.

4 *At pulchrum est, &c. Argumentum.* Urget argumentum suum Patronus, atque aliud affert patrocinium ejusdem farinæ, cujus argumentum superius.

5 *Digito monstrari.* Respicit fortasse hic historiam de Demosthene, qui cum transiret, & à mercenario tabernæ, vel (ut quidam referunt) à muliercula digito moustraretur, fertur lætatus esse, quod ab ignobilibus sciretur.

6 *Cirratorum.* Apud antiquos criniti erant adolescentes & pueri, qui scholas frequentabant, usque ad certam ætatem. Hinc per cirratos, nobiliores discipulos intellige, qui sub magistris operam navabant literis, & quibus magistri è libro aliquo scripta dictabant. 7 *Dictata.* Mos erat olim ludimagistrorum, ut discipulis suis non eorum tantum auctorum scripta prælegerent, quos vetustas commendaret, sed etiam nobilissimi cujusque æqualium suorum. Atque obiter hic perstringitur Nero, cujus carmina, quia imperabat, per scholas celebrabantur.

Paraphrasis. At vero dulcis est fama & populi præconium. Numnam nugatorius tibi videtur & inanis studiorum finis laudem sequi? quam tum demum assequutus tibi videaris, si cum Demosthene prætereuntium digitis indiceris, tanquam eximius aliquis orator aut poeta raris ingenii dotibus instructus. Quid quæso suavius, quid optatius, quam si patritiorum liberi

carmina tua dictata illis à ludimagistris manibus suis assidue terant atque perdiscant? nonne hæc ad laudem nulla temporum injuria intermorituram via expeditissima est?

Pro nihilo pendas? [1] *ecce* [2] *inter pocula quærunt*
Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.
Heic aliquis cui circum humeros 3 *hyacinthina læna est,*
4 *Rancidulum quiddam* 5 *balba de nare locutus,*
6 *Phyllidas,* 7 *Hypsiphylas, vatum & plorabile si quid,*

1 *Ecce inter pocula &c. Argumentum.* Hactenus recitationes in auditoriis propositæ cum circumstantiis suis. Succedunt recitationes in tricliniis inter convivandum:unà etiam cum circumstantiis,quarum aliæ recitantem,aliæ auditores & applausores spectant. Ubi lepide admodum satyricum cachinnum poeta exercet, ut istis qui laudari sua poemata à Nerone & proceribus tanti æstimabant, rei vanitatem dilucide ostendat. Et ingeniose Persius rem ob oculos sic ponit, ut horum hominum vanitas manifestissime appareat. 2 *Inter pocula.* Vetus hic mos & à Græcis acceptus: sed hoc oblectandi sui causa, non ut accuratius quicquam tractarent, verum ut convivis ansa fabulandi nasceretur, in missuum intervallis aut remotis mensis aliquis vel memoriter vel de scripto alicujus poetæ carmen recitabat. 3 *Hyacinthina læna.* Vestis tricliniaris, mollior & coloris exquisiti, argumentum est morum solutorum. Satisque constat ætate Persii qui elegantiores videri volebant cœnatoria & universam vestem tricliniarem splendidissimam habuisse. In dibapha igitur purpura & coccinis aut hyacinthinis discumbebant. Est autem hyacinthus genus violæ vernæ colore obscuræ purpuræ. hinc hyacinthinus, a, um, quod habet colorem hyacinthi. 4 *Rancidulum.* Rancor est certarum rerum diutius asservatarum corruptus odor. Sic olei rancor apud Latinos: sed dicitur & de aliis. Inde transfertur ad res ingratas & insuaves; hinc rancidus, a, um, pro eo quod est putidum aut putridum, quodque nimia vetustate corruptum fœtorem contraxit & ingratum saporem. Unde pro insuavi nonnunquam ponitur: sic venenum rancido aspectu apud Plinium. Inde diminutivum rancidulus, a, um. 5 *Balba de nare.* Duriore translatione usus nari tribuit quod linguæ convenit. Balbuties enim vitium est linguæ peculiare. Sed poeta multa vitia congestim ponit, quod loquatur rancide, quod balbe, quod de nare: quibus significari voluit naturalem vocis modum ab istis effœminari. De nare loqui dicuntur, quibus spiritus qui per nares exit, non libere fluit ob angustiam tramitis. 6 *Phyllidas.* Phyllis fuit Lycurgi Thracum Regis filia, quæ Demophoonta Thesei ex Phædra filium à Trojano bello redeuntem hospitio lectoque excepit: accepta prius ab eo fide, se domi rebus ab eo compositis uxorem ab eo ductum iri. Profectus itaque Demophoon, quum ultra statutum tempus variis districtus negotiis in patria detineretur, Phyllis & doloris impulsu & amoris impatientia, quod se spretam esse crederet, laqueo vitam finivit. Inde conversa in arborem amygdalum fertur sine foliis. Postea reversus Demophoon, cognita re, ejus amplexus est truncum: qui (velut sponsi sentiret adventum) folia emisit: ita postea phylla sunt à Phyllide. Vide Ovid. in epist. Heroidum. 7 *Hypsiphylas.* Hypsiphyle, Lemni regina, Thoantis filia, quæ quum reliquæ mulieres ejus insulæ omnes viros communi consensu occidissent, sola patrem servavit: ob quam pietatem Lemno ejecta, capta à Piratis dicitur, & Lycurgo Thraciæ regi vendita: à quo liberaliter habita & nutriendo ejus filio præposita est. Nam paulo ante fugam gemellos pepererat, quos conceperat ex Jasone, quem in Colchos navigantem hospitio simul & lecto exceperat. Postea quum Argivis ad Thebanam expeditionem proficiscentibus, Langiam

fontem

fontem ostensura Archemorum alumnum deposuisset, ea absente adrepens serpens puerum interemit: quo nomine quum à Lycurgo ad supplicium quæreretur, ab Adrasto cæterisque Argivis servata est. Vide & hic Ovid. in epist. Heroïdum.

[1] Eliquat, & tenero [2] supplantat verba palato.
[5] Assensere viri. Nunc non cinis ille poetæ
Felix? 3 Nunc levior cippus non imprimit ossa?
Laudant convivæ. 4 Nunc non è manibus illis,
Nunc non è tumulo, fortunataque favilla
Nascentur violæ? 6 rides (ait) & nimis 7 uncis

1 *Eliquat.* Eliquo, as, liquidum facio, ut cum aurum aut argentum igni dissolvimus. Est etiam eliquare molliter canere, & cum lenocinio quodam vocis pronunciare, ut hic. 2 *Supplantat.* Supplanto, as, est pede supposito in terram dejicio. Hic vero supplantare verba, est verba non bene nec plane pronunciare, sed molliter ea palato illidere, quo vox jucundior fiat. 3 *Nunc levior cippus.* Ridere libet veterum stultitiam, qui defunctorum amicorum urnis cippos & columnas marmoreas cum imponerent, optabant tamen iisdem terram levem. Iidem contra inimicis quorum memoriæ non favebant, nullum saxum imponebant, & gravem tamen terram, atque ut pondere urgerentur, optabant. 4 *Nunc non è manibus illis.* Veteres Græci ac Latini quorum felicitatem plusquam humanam volebant videri, dicebant de vivis ex eorum vestigiis flores nasci: de mortuis ex eorum tumulis suave-olentes quasi flores erumpere. Atque hinc est quod ver perpetuum optabant eorum tumulis, eoque frui perpetuo manes bonorum credebant. Inde vernare pro continua felicitate uti, apud multos scriptores.

Paraphrasis. Respondet hic Persius colloquutori. Imo vero ego gloriolam illam pro nihilo pendo. Utque tu quam nihili pendenda sit videas, rem ob oculos tibi ponam. Non inter res serias sed inter oblectamenta literæ habentur à plerisque Magnatum. Utque hoc clarius videas, ecce laudantur quidem ab iis poetæ, & encomiis maximis ornantur, sed inter pocula & in vino: ut facile omnes intelligant quanti laudationes istæ fieri debeant à parum sobriis & madidis profectæ. Ut enim inter pocula ad majorem hilaritatem se invitent, quærunt numquis adsit, qui divini alicujus poetæ generosa carmina recitare possit & canere. His conviva aliquis, cui hyacinthina & accubitoria vestis, fabulas amatorias è trivio petitas canit emisso per nares spiritu; sic scilicet proceres poemata attingunt levia, & rancide, balbe, ac de nare loquentes naturalem vocis modum effœminant. Interea nullis masculi alicujus poetæ carminibus se oblectant, sed teneris quibusdam elegiis de infelicibus amoribus Phyllidis aut Hypsiphylæ & similibus aliis, quæ dum canuntur, vocem quam à natura virilem acceperant, delicatam reddunt ac fœmineam, atque arte frangunt ac corrumpunt.

5 *Assensere viri. Sensus.* Qui elegiam recitabat, illud agebat ut mollia carmina molliter pronunciaret. Laudant reliqui utrumque & vocem & carmen: atque illi recitatori assentiuntur pulcherrimum esse carmen quod recitarit. Effunduntur igitur omnes paulatim in auctoris tam bonorum carminum laudationem in hunc modum. Annon justam hic poeta causam habet cur certam fiduciam concipiat de fama nominis sui etiam ultra cineres ac post obitum mansura? Atque hic nota gradus laudationum. Convivæ primo assentiuntur laudanti, deinde Ipsi laudant, ubi plus poti calidiores & alacriores fuerint facti. Atque ita effuse laudant, ut ejus poetæ felicitatem velut plusquam humanam deprædicent. 6 *Rides (ait) & nimis uncis, &c. Argumentum.* Supra fuerunt recitationes in tricliniis, una cum circumstantiis: jam sequitur diatriba satyrica, qua harum ineptiarum vanitatem examinat; non fine dialogismo, ut supra. Asserit enim malorum poetarum patronus sine causa Persium cachinnari; cui deinceps respondet Persius. 7 *Uncis naribus indulges.*

dulges. Alludit ad cachinnonum & salse alios irridentium gestum. Incurvantur enim nares, cum eas soluto risu contrahimus. Horat. in 1 sermonum —— *minus aptus acutis Naribus.* item alibi idem —— *naso suspendis adunco.*

Naribus indulges. an erit, qui velle recuset
Os populi meruisse; & 1 cedro digna locutus,
Linquere; 2 nec scombros metuentia carmina, nec thus?
3 Quisquis es, ô modo, quem ex adverso dicere feci,
Non ego, cum scribo, si forte quid aptius exit,
4 (Quando hæc rara avis est) si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam: neque enim mihi cornea 5 fibra est,
Sed recti finemque, extremumque, esse recuso

1 *Cedro.* Cedria vel cedrium liquor est, quem cedrus arbor exsudat. Res cedrio unctæ tineis & carie non eduntur. Itaque hoc liquore libros linebant. nec solum cedrio ungi soliti libri melioris notæ, sed etiam in arculis materiæ cedrinæ servari, ac fortasse etiam tabulis cedrinis à bibliopegis amiciri propter æternitatem. 2 *Nec scombros.* Ut carmina æternitate digna cedri succo inungebantur, ita malorum carminum contrarium fuit fatum. Ejusmodi enim chartæ aromatis & salsamentis involvendis destinabantur. Et quia garum ex scombri piscis intestinis sale maceratis primo fuit factum, ideo hoc liquamen scombros appellat. Per scombros ergo intellige salsamentarios, ut per thus thurarios, id est hos qui thus parant & vendunt.

Paraphrasis. Verba hæc patroni sunt. *Sensus.* Nimis quidem tu, ô Persi, gloriæ cupiditatem irrides. Cum communi quodam consensu os populi, id est famam & nominis celebritatem mereri optent. Cur igitur contemnis usqueadeo honorem eum quem poetis Romanis Proceres deferunt? Præsertim cum poeta cui deferuntur hæ laudes, ea scripserit carmina, quæ æternam posterorum memoriam mereantur, ac proinde summa cum cura à posteris vel cedro asservanda, non autem contemptim ad viliores usus atque ad salsamentorum & thuris venditores rejicienda

3 *Quisquis es, O modo, &c. Argumentum.* Superiori objectioni accurate hic respondet Persius adhibita distinctione. Docet enim aliud esse gloriam sectari tanquam finem suarum actionum, & eandem amare ac probare tanquam gratam & amabilem virtutum omnium comitem. 4 *Quando hæc rara avis est.* Id est quando raro admodum contingit hoc. Phœnicem avem orientalem respicit hoc proverbium; qui unus tantum in toto orbe, nec magnopere visus. Vivit annos 660. Hinc senescens casia thurisque surculis nidum sibi construit, repletque odoribus, & super emoritur, & ex ejus ossibus ac medullis renascitur pullus. 5 *Fibra.* Omnium rerum extremitates fibræ dicuntur: quin & minuta radicum herbarumque capillamenta hoc nomine appellantur: quanquam autem cordis, ut & reliquarum partium fibræ extremitates solummodo sint, hic tamen synecdochice pro corde sumuntur. Cornea autem fibra proverbialiter hic sumitur pro animo seu corde stupido & communis sensus experte.

1 Euge

1 *Euge tuum, & belle; 2 nam belle hoc excute totum,*
Quid non intus habet? non heic est 3 Ilias Atti
Ebria 4 veratro, non, si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres, 7 non quicquid denique 5 lectis
Scribitur in 6 citreis. 8 calidum scis ponere 9 sumen,

1 *Euge tuum & belle hor.* Sunt hæ voces acclamantium & approbantium ea quæ recitarentur in auditoriis: Euge, belle, pulchre Sic accipe Martialem multas cumulantem acclamationes. *Effœte, graviter, cito, nequiter, euge, beate.*

Paraphrasis. Quisquis es quem ego induxi mecum colloquentem, audi quid ingenue profiteor. Si forte opus aliquod studio & labore ad finem perducam; quando (ut est in proverbio) hæc rara avis est; si, inquam, quid limatius à me exeat, non ego bonam famam prorsus negligo, ejusque amorem usque adeo exui, ut ea cura neutiquam me tangat. Neque enim animus hic meus adeo occalluit. Sedenim quanquam laudem omnem plane non respuam, pro fine tamen & ultimo nolo ego eam mihi proponere.

2 *Nam belle hoc excute, &c. Argumentum.* Quatuor rationes reddit, cur non tanti facienda sint horum laudatorum judicia, ut eorum laudationes pro fine proponendæ sint. Prima est ab operis recitati & laudati indignitate, ut & auctoribus crudis & tantum non ebriis cum carmina faciunt. 3 *Ilias Atti.* Attius Labeo Iliadem Homeri versibus inconditis fœdissime composuit. Sic glossæ veteres ad Persium. 4 *Veratro.* Cum alia excitando tardo ingenio valent, tum etiam interdum pharmaca: inque his veratrum seu elleborum. Clarum hoc vel exemplo Carneadis Philosophi, qui solitus elleboro purgari, quoties cum Zenone Stoïco res illi erat futura. Est autem parum felicis genii & ingenii hujusmodi pharmacis poetæ ingenium excitare, quia veri poetæ naturæ munere fiunt, carentque carmina gratia cum apparent coacta & labore multo expressa. 5 *In lectis citreis.* Veteres lectos habebant lucubratorios ubi studerent ac versus facerent. Fuit & ritus poetandi in lectulis tricliniaribus, & inter cœnam otiose aliquando ita ludebant.

6 *Citreis.* Citrus arbor est sylvestri cupresso similis, in Mauritania præcipue nascens: unde in Italiam ad pretiosissimarum mensarum materiam advehebantur, quæ & cedria à Plinio appellantur.

Paraphrasis. Vide quæso & serio quàm dignæ seu potius indignæ sint laudationes ab istis profectæ, qui sine judicio bonos malosque poetas acclamationibus suis insanis prosequuntur. Nonne enim dum hujusmodi poematia laudant, ea laudant quæ Attii Labeonis ineptissimum poema referunt? nam illam Iliados Homeri translationem expressit non copia ingenii sed labor improbus & gloriolæ pruritus; & siqua alia sint infelicium ingeniorum irritamenta, postquam pharmacis fuerint expurgata.

7 *Non quicquid denique. Sensus.* Nonne illa maxime solita laudari, quæ à divitibus ac potentibus scribuntur, licet ipsi magis ventri & luxui sint dediti quam Musarum studiis? eorumque carmina elegidia sint, hoc est non magna poemata & opera legitima: sed minuta quædam opuscula ut leves & breves elegiæ & similia momenti non magni carmina, adeoque non modo horum carminum auctores crudi sunt, sed ipsa carmina cruda: vix bene adhuc inchoata, nedum perfecta. Nonne denique versus ii sunt quos inter cœnam proceres bene madidi funditant, aut in lectis suis lucubratoriis, ubi versus faciebant, illos tamen parum elucubratos? 8 *Calidum scis ponere sumen, &c. Argumentum.* 2 ratio sumpta ab ingenio laudantium. Quot laudatores, tot assentatores. 9 *Sumen calidum.* Hic imitatus est Horat. ad Pisones: *Si vero est unctum recte qui ponere possit.* Addit autem calidum, quia cibos quam ferventissimos mensis inferre moris erat.

Scis

Scis comitem horridulum trita donare [1] lacerna;
Et [2] verum, inquis, amo: verum mihi dicite, de me.
Qui pote? Vis dicam? nugaris, cum tibi calve,
Pinguis [3] aqualiculus propenso sesquipede exstet.
[4] O [5] Jane, à tergo quem nulla [6] ciconia pinsit.
[7] Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
[8] Nec lingua, quantum sitiat canis Appula, tantum.

1 *Lacerna.* Lacerna, æ, vestis exterioris genus est, pluviæ frigorisque injuriæ propulsandæ imprimis accommodatum; quo olim solitos milites usos esse Cornutus scribit. Postea & ab aliis sumebantur lacernæ, præsertim à viatoribus, qui expedite & sine togæ impedimento iter facere volebant. Nobiliores vero illustrioresque lacernis non utebantur, nisi pluvio tempore & in spectaculis.

Paraphrasis. Nec mirum, ô Poetaster, hæc tua elegidia ab auditoribus tuis tantopere laudari, hi enim auditores à te & tui similibus proceribus corrogantur, eorumque suffragia cœnarum impensis redimis. Dives enim cum sis, lautam illis cœnam apponere & potes & soles, ac comitem tuum frigore salutationis matutinæ horrentem pallio trito amicire. Tenuiores enim facile quibusvis vel levissimis muneribus capiuntur.

2 *Et verum, inquis, amo, &c. Argumentum.* Tertia ratio à crasso auctoris ingenio, de quo in paraphrasi. 3 *Aqualiculus.* Alvus est quo sordes defluunt. Notatque hic Cornutus aqualiculum proprie esse ventrem porci, & improprie ac per translationem de humano ventre dici. Nota quibus crassa & obesa corpora homines plerumque esse crassæ Minervæ. Crassities enim corporis ingenio est oneri.

Paraphrasis. Isti postquam aliquid recitarunt, Auditores, quid illis visum fuerit, rogant: ac quasi proficere non laudari cuperent, verum sibi dici orant. Atqui ego Persius qui illecebris & munusculis tuis non sum corruptus, possum tibi verum dicere, modo æquo animo veritatem possis excipere. Accipe igitur quid de te sentiam. Ego te hominem ineptum & ridiculum esse pronuncio, qui vitam omnem ad canitiem usque traducas in nugis & inutili poetandi studio: cum sint alia potiora quæ ei studio præverti debeant: cumque ingenii tui crassitiem distentus venter & abdomen præpingue indicet: cui usqueadeo servis, dum in curanda cute plus æquo operaris, ut propenso seu protento sesquipede extet. Ita quale abdomen, tale ingenium, & similes habent labra lactucas, & dignum patella operculum.

4 *O Jane, à tergo, &c. Argumentum.* Quarta ratio ab aliorum judicio & sannis, ut intelligant isti non suam unius sententiam hanc esse, verum publicam omnium atque adeo illorum ipsorum, qui fœda assentatione soliti laudare.

5 *O Jane.* Janus antiquissimus Italiæ Rex, quem geminam faciem prætulisse aiunt, quod ad Regis prudentiam solertiamque referendum est, qui & præterita nosceret, atque prospiceret futura: unde etiam bifrons appellatur.

6 *Ciconia.* Avis est. Hic sannæ & irrisionis species est. Irrisores enim digitis colligatis & ad inferiorem manus partem inclinatis ciconiæ rostrum formabant. 7 *Nec manus.* Alter hic sannæ modus est. Quos enim esse asinos significare volebant, opposito temporibus pollice & manu commota sannam eis faciebant. Ratio autem est, quia solus fere ex animalibus homo aures à natura accepit immobiles: asinus contra maxime mobiles.

8 *Nec lingua.* Tertius sannæ modus linguam exertare ad contumeliam alicujus. Nemo autem ignorat canes fessos, cum per æstum diei currunt, solitos linguam ex ore patulo projicere. Quod autem canis Appulæ hic meminit, inde est, quia Appulia fervida est Italiæ regio, &, ut vocat Horat., siticulosa.

Paraphrasis. Assentatores quidem isti palam & in os divites hos poetas laudant.

dant. At vero absentes non continent se quin quod sentiant vel voce vel gestu exprimant: ipsi vero stupidi vehementer sunt, qui eorum irrisiones non intelligant. Itaque te beatum prædico, ô Jane bifrons, cui utrinque & à tergo & à fronte cernenti facile sit à fuco eorum cavere, qui coram laudarent, à tergo vero subsannarent, quibus modis supra docuimus.

1 *Vos, ô 2 patricius sanguis, quos vivere fas est*
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ:
3 *Quis populi sermo est? quis enim, nisi carmina molli*
Nunc demum numero fluere; ut per læve severos
Effundat 4 junctura ungues? scit tendere versum
Non secus, ac si oculo 5 rubricam dirigit uno:

1 *Vos, O patritius sanguis, &c. Argumentum.* Quatuor rationibus supra allatis subjicit salutare consilium, ubi id agit poeta, ut si nequeat vulgus populi Romani abducere à vanitate illa & vitiis quæ hactenus descripsit: at Patritios saltem ab iis institutis deterreat, quæ adeo fœda & nobilioribus ingeniis indigna.

2 *Patritius sanguis.* Dividebantur Romani in Patritios & plebem. Patritii nobiliores erant Romani, Senatorum progenies, hoc est, qui à primis senatoribus à Romulo institutis oriundi erant. Alii plebeii & novitii erant. Hinc adjectivum patritius, a, um, ut patritia familia, honor patritius, sic hic sanguis patritius.

Paraphrasis. Sed ut rupicones & ignobiles mittam, ad vos me converto patritios, quos natales & avitæ opes ad rempublicam capessendam vocant. Captare enim famam feras utcunque in illo qui aliam rationem nullam inire potest, qua rei familiari prospiciat: at in iis jure hoc rideas, quos natalium humilitas non cogit spe alicujus commodi scribere ac recitare: quibusque licet famam iis artibus quæsitam contemnere: quales vos estis, ô Patritii, qui nihil admittere cogimini; cujus gratia optare debeatis Jani oculos. Ergo si sapitis, eximite vos eorum cachinnis, qui miseros recitatores palam laudant: clam tamen & à tergo subsannant.

3 *Quis populi sermo, &c. Argumentum.* Secundæ partis secunda hæc sectio est, ut supra divisimus. Atque hic damnat Persius secundam affectationis speciem, cacozeliam nempe. Est autem cacozelia immodicum nimii nitoris & concinnitatis studium. At videtur Persius hujusmodi nitorem ita depingere, ac si eum laudet populus Romanus. Respondeo. Non ex sua persona dicit hæc Persius; verum ineptis & imperitis hominibus convenientem attribuit sermonem. De hujusmodi masculæ orationis depravatione Quint. lib. 5. cap. 12. *Dum levia sint ac nitida, quantum valeant, nihil interesse arbitramur.* Hactenus Quintilianus. Hic ergo Persius ut nimium affectatæ concinnitatis studium damnat, ita populi & auditorum judicia hic carpit, qui eam solam orationem laudabant sive poeticam sive oratoriam, *quæ tenera quadam elocutionis cute esset operta*, ut Quintilianus ibidem loquitur. Quo spectat illud Horatii in Arte: *Sectantem lævia nervi Deficiunt animique*, hujusmodi sunt eorum carmina, quæ nihil habent præter elegantiam verborum & mollem numerum, & sunt (ut alibi loquitur Horat. *Versus inopes rerum nugæque canoræ.* 4 *Junctura.* Cum perfectum est opus, junctura ungues effundere dicitur, loqutione ab arte fabrili translata. Nam qui marmora poliunt aut ligna, operis lævitatem ungue explorant, cum ultima restat manus operi admovenda.

5 *Rubricam.* Cur uno oculo res videamus melius, causa hæc est, quod vis optica quæ ab uno principio dividitur in geminos oculos, cum alterius operatio impeditur, ad alterum tota se confert, fitque hoc modo seipsa validior; non enim cessat otiosa facultas videndi.

Sive

Sive opus [1] *in mores, in luxum, & prandia Regum,*
Dicere res grandes nostro dat Musa Poetæ.
[2] *Ecce modo* [3] *heroos sensus adferre videmus*
[4] *Nugari solitos Græce, nec ponere lucum*
Artifices, nec rus saturum laudare ubi corbes,
Et focus, & porci, & fumosa [5] *Palilia fæno:*
Unde Rhemus, sulcoque terens dentalia, [7] *Quinti,*
Cum trepida ante boves [6] *Dictatorem induit uxor,*

1 *In mores, in luxum, in prandia.* Duo priora interpretanda sunt de scripto satyrico. Satyræ enim objectum non unum aut alterum vitium, sed in universum corrupta publicorum morum disciplina. Satyricum autem scriptum multi videntur Neronis ætate tentasse, partim carmine Heroico, ut Persius, partim per satyram mixta oratione & versu, ut Petronius. Tertium vero (*in prandia Regum*) de Tragœdia accipiendum est. Etenim à poetis Neroni æqualibus sæpe ejusmodi argumenta tractata sunt. Hinc illa Sat. 5. *Si quibus aut Prognes aut si quibus olla Thyestæ Fervebit, sæpe insulso cœnanda Glyconi.*

Paraphrasis. Pergit adhuc recitator, & famelicos suos Gnathones ita alloquitur. Jam intelligo quid vos auditores de meis carminibus sentiatis: at usqueadeo proficere cupio, ut nihil mihi antiquius, nihil optatius, quam hoc etiam nosse quis populi Romani de me meisque scriptis sermo sit. Sic habe. Urbs tota hujus poetæ (id est tui) admiratione adeo percita est, ut nihil aliud loquatur nisi ejus laudes. Nempe hæc populi encomia sunt. Nunc demum nostro ævo & soluta & poeticis numeris ligata oratio usqueadeo concinne fluit, ut nihil in ea vitii ne rigidissimus quidem licet decumati judicii censor possit deprehendere. Poeta enim ille est optimus versuum faber, quin & singularis ejus facultas est cujusvis argumenti quoquo modo tractandi.

2 *Ecce modo heroos &c. Argumentum.* Tertia sectio est de affectatione grandiloquentiæ supra vires & ætatem. 3 *Heroos sensus.* Sic potius quam Heroas, nisi malis enallagen hic esse substantivi pro adjectivo. Dicti autem fuerunt veteribus Heroës viri nobiles & illustres, qui mortales cum essent, rerum tamen gestarum magnitudine, quam proxime ad deos immortales accedebant, eamque apud vulgus opinionem meruerunt, ut post mortem credantur in deorum numerum relati, quales Hercules, Romulus, Theseus &c. Hinc adjectiva heroicus, a, um, vel herous, a, um. Carmen ergo heroïcum ita dicitur, quod heroum res gestæ heroico carmine tractari solitæ. 4 *Nugari solitos Græce.* Duo de puerorum educatione hic nota. 1. Neronis ætate Romani puerorum studia à Græcis literis auspicabantur. 2. pueri cum è grammatico ludo egressi Rhetorum scholam salutaverant, stilum exercebant in descriptionibus ac narrationibus historicis. Similia sunt argumenta quæ hic proponuntur, descriptio luci, ruris luculenti, rei vel vitæ rusticæ. 5 *Palilia.* Pales pastorum vel pabuli Dea. Palis autem deæ festa dicuntur Palilia vel Parilia (l in r mutata) quæ à pastoribus in agris fiebant ad lupos arcendos, morbosque à pecore pellendos, seu pro partu pecoris, undecimo Cal. Maii, quo die Romulus urbem fundavit. Palilia autem tam privata quam publica cum fierent, congestis cum fœno stipulis ignem magnum transiliebant rustici, his palilibus expiare se credentes.

6 *Dictatorem.* Dictator apud Romanos summus erat Magistratus, qui periculosissimis Reipublicæ temporibus à consule dici, id est nominari solebat; alias Magister populi dicebatur, quia cæteris Magistratibus præter Tribunos cessantibus summa erat ejus potestas in populum, habebatque jus animadvertendi in cujusque civis Romani caput, nec ab eo provocandi jus erat. Dictatura autem non prius se abdicabat, quam respublica esset composita.

7 *Quinti.* L. Quintium Cincinnatum intellige, qui ab aratro ad dictaturam

ram vocatus, Æquos victos sub jugum misit, & decimo sexto die ex quo magistratum acceperat, dictaturam deposuit. Hic uxorem habuit Rancilian.

Et tua aratra domum 1 *lictor tulit. euge Poeta:*
2 *Est nunc* 3 *Brisei quem venosus liber* 4 *Acci,*
Sunt quos, 6 *Pacuviusque, & verrucosa moretur*
5 *Antiopa, ærumnis cor luctificabile fulta,*

1 *Lictor.* Apparitor hic magistratus erat. Duodecim Lictores Consulis erant. Aliorum magistratuum seni tantum. Hi magistratus præibant, ac quoties jussi erant fasciculos solventes primo virgis cædebant damnatum, mox securi feriebant. Hi eorum magistratuum ministri erant, qui cum imperio fuere, ut Consulum, Proconsulum, Prætorum, Præsidum. At tribunorum ministri dicebantur Viatores, qui non cædebant, sed jussu Tribunorum vocabant aut impediebant.

Paraphrasis. Ecce hac ætate puerculos, vix adhuc primas literas doctos, ad magna & sublimia prius aspirare docemus, quam in planis & humilibus stilum exerceant: qualia sunt ista, descriptio luci aut ruris luculenti, ubi ruris copiæ se offerunt, unde ruris aut vitæ rusticæ encomia duci, & late diffundi poterant. Loca autem encomiastica huc spectantia sunt historiæ rerum memorabilium, quæ ruri sunt factæ. His describendis aut similibus nondum pares discipulos, patres aut patrum impulsu Præceptores præpostera omnino dicendi ratione ad sublimia & heroicis carminibus digna argumenta propellunt.

Nota. Obiter hic notat Persius causam corruptæ elocutionis esse pravam institutionem. Nam cum stylus sublimis sit consummata quædam perfectio artis Rhetoricæ, nihil poterat aut ineptius aut absurdius fieri, quam cum in scholis rudes discipuli instituerentur loqui grandia. Sed culpa ejus rei penes parentes potius erat quam penes Rhetores. Voluntatem enim patrum non judicium sequuti suum in his exercitationibus doctores peccabant. Vide Petronium initio satyrici super eodem argumento.

2 *Est nunc Brisei, &c. Argumentum.* Quarta hæc sectio qua taxatur inepta affectatio exoletarum vocum, quod vitium eorum plerumque est qui Antiquarii haberi volunt, atque hæc reprehensio poetis & oratoribus æque communis est. 3 *Briseis.* Lyrnessia puella fuit, à patre Brise ita appellata, quum vero nomine Hippodamia esset. Hæc, capta Lyrnesso Troadis urbe, Achilli victori in prædam cessit: Et postea ab Agamemnone erepta implacabilis dissidii causa fuit inter Agamemnonem & Achillem. Detrectabat enim Achilles Agamemnonis imperium, neque unquam adduci potuit, ut arma sumeret, donec Patrocli mors nunciata eum ad vindictam extimulavit. Vide epist. Ovidii. 4 *Acci.* Quidam Acti vel Atti. Intelligit autem L. Accium veterem poetam tragicum, qui Pacuvii ætate vixit: non autem Labeonem, de quo supra. Briseidos casus Accio argumentum tragœdiæ præbuit, ut Pacuvio Antiopa, de qua jam dicemus. 5 *Antiopa.* Nyctei filia fuit & uxor Lyci Thebanorum Regis. Hanc cum Jupiter in Satyrum commutatus compressisset, Lycus repudiavit, uxoremque Dircen superinduxit, quæ Antiopam in carcerem conjecit, verum instante partus tempore, illa ruptis vinculis in Cithæronem montem se recepit, ubi Amphionem & Zethum peperit, qui à pastoribus inventi & educati, maternæ injuriæ ultores extiterunt, Lyco cum Dirce uxore interfecto. 6 *Pacuviusque.* Brundusinus hic poeta fuit, & Tragicus illustris, Ennii ex sorore nepos. Romæ poeticam exercuit, & fabulas recitavit: deinde Tarentum transgressus prope nonaginta annos natus diem obiit.

2 *Hos pueris monitus patres infundere lippos*
Cum videas, quæris-ne, unde hæc sartago loquendi
Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
1 *Trossulus exultat tibi per subsellia lævis?*
3 *Nil-ne pudet, capiti non posse pericula cano*
Pellere? quin tepidum hoc optes audire? Decenter!
7 *Fur es, (ait* 4 *Pedio) Pedius quid? crimina rasis*
Librat in 5 *antithetis: doctas posuisse figuras*
Laudatur. bellum hoc. hoc bellum? 8 *an,* 6 *Romule, ceves?*

1 *Trossulus.* Trossulum oppidum fuit Thusciæ, quod quum Equites Romani cepissent sine peditum auxilio, in memoriam hujus victoriæ dicti sunt Trossuli.

Paraphrasis. Non deest hac nostra ætate qui in jactationem reconditæ nescio cujus eruditionis voces exoletas ex antiquis auctoribus erutas in usum revocare conatur. Quique duriores poetarum translationes, & ea quæ vix antiquioribus poetis permissa sunt, putat sibi licere usurpare ac imitari. Exemplo sint ista. Tragœdiam de Briseide ab Accio scriptam Persius ad poetarum quos carpit exemplum appellat *Librum venosum*, id est deformem, ut sunt homines macri & senes vieti. quibus dedit longa ætas venas extantes & deformem pro cute pellem; istis enim venæ extant carne senio absumpta. Sic Antiopam Pacuvii eodem sensu *verrucosam* appellat. Ut enim verrucarum multitudo deformat cutem, sic dura & exoleta vocabula orationem prorsus deformant. His adde & illa Pacuvii, (*ærumnis cor luctificabile fulta*) in quibus notari vult & rideri poeta primo metaphoram impropriam & duram; *fulcire* enim proprie est sustentare; cum autem transfertur, *auxilii* significationem semper habet. Pacuvius vero *ærumnis fulciri* pro *cingi undique & opprimi* posuit, sane quam improprie. Deinde in voce *luctificabile* est manifesta affectatio vocabuli rarioris & soni grandioris, sententiæ neutiquam quadrans. Sed pergo in paraphrasi.

2 *Hos pueris monitus.* A doctoribus eloquentiæ in patres culpam omnem transfert. *Sensus.* Cum videas parentes jam senes & lippos liberis suis in primo puerilis educationis limine hæc præcepta (quæ supremum pene eloquentiæ gradum spectant) indere, quærisne unde misturæ probatarum & damnatarum dictionum in oratione locus sit? Adde quod ea sit audientium inter recitandum immodestia, ut non solum inverecunde acclament; sed etiam subsiliant atque exultent; nec mirum, Trossuli enim hi, à quibus audiuntur recitatores, læves sunt & molles, ut ex cultu & toto vitæ genere apparet: itaque nihil probant, nisi quod tali genio & ingenio quadret.

Nota hic misturam eam de qua diximus *sartaginem* appellari à Persio alludente ad panes eos qui conficiebant è variarum rerum miscella, farinæ, adipis, mellis & similium.

3 *Nilne pudet &c. Argumentum.* Quinta sectio ubi quintum vitium, importuna nempe Rhetoricarum ineptiarum affectatio, cum res capitis agitur. Ad oratores ergo proprie pertinet hæc sectio, eosque qui tenerum dicendi genus transferebant in forum, & veras causas sic agebant tanquam fictas declamationes, idque sub exemplo ponit. 4 *Pedio.* Ut apud Latinos Mævius & Titius & apud Græcos Dio & Plato nomina sunt exempli causa usurpari solita: sic Pedius hic pro mali oratoris exemplo sumi potest. Fuit & Pedius Blæsus quidam, qui Nerone imperante repetundarum damnatus postulatusque est à Cyrenensibus, eo quod fanum Æsculapii expilarat. Ad eum fortasse hic sit allusio. 5 *Antithetis.* Antitheton figura est cum contraria opponuntur contrariis, ut apud Ovid. 1 Metam. *Frigida pugnabant calidis, humentia siccis: Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.* Hic vero intelli-

telligit poeta non solum antitheta, sed & alias ejusmodi figuras identidem & importune collocatas, adeo ut naturale orationis robur enervaretur, vera pulchritudine in fucum & nugas degenerante: cujusmodi sunt Parisa & Isocola, Isoptota, Homœoteleuta & similes Gorgiæ oratoris inventiunculæ.

6 *Romule.* Romulus primus Romanorum Rex, hic sumitur pro eo qui cum ortu Romanus sit, factis & dictis adeoque oratione mascula Romanus esse debet Contra quam fit cum cevet, id est verboso & inepto Causidico adulatur. Cevere autem proprie est clunes movere, quod fit adulando, ut in canibus videmus.

Paraphrasis. Nilne pudet cum de vita in foro coram judice agitur illud dicendi genus adhibere, quod ne in scholis quidem aut auditorum umbra esset ferendum? Repertum nempe non ad utilitatem litigatorum, sed ad Patronorum jactationem, uti loquitur Fabius. Nonne pudet cum de capite agitur gloriæ tuæ servire, & id præcipue agere, ut plausum feras? sique pleno ore non lauderis, id saltem omni studio conaris efficere, ut vel tepide lauderis & modicam saltem laudationem assequaris. Utque doceam quam ludicra & ad ostentationem comparata ornamenta orationis Patroni adhibeant; sub exemplo rem ponam.

7 *Fur es, ait Pedio. Sensus.* Accusator reum Pedium repetundarum postulat. Quid reponit Persius aut Pedii Patronus de more assumens sibi rei sui personam? nempe in fucum & nugas degenerat ejus oratio. Quanquam enim res seria agatur & vera dimicatio, præcipuam tamen orationis suæ virtutem in sententiolarum argutiis ponit: in antithetis & affectato similium figurarum apparatu. Nec enim solum periodos accurate poliunt, sed & singulas etiam dictiones in fine periodorum maxime expendunt & appendunt. Maximæque laudi id ducitur, si figuras nimia arte politas sic adhibeant, ut exeant passim Parisa, Isocola & id genus aliæ figuræ, quæ plus artis & ostentationis quam solidi roboris habent. 8 *An, Romule, cever.* Hæc verba Persii judicium habent de hujusmodi oratoribus *Sensus.* An, Romane, adhuc vir es? cum mollia tua dicta & facta nec Romano nec masculi spiritus viro conveniant. Odi sane reum verba aucupantem & in ancipiti sorte de fama nimis anxium.

[1] *Men' moveat, quippe, &, cantet si* [2] *naufragus, assem*
Protulerim? cantas, cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querela.

1 *Men' moveat &c. Argumentum.* Alio exemplo rem illustrat, naufragi nempe, quo ostendit in re seria non esse affectandas ineptias.

2 *Naufragus.* Qui è naufragio evaserant picturam adhibebant naufragii sui ad movendam misericordiam, quia magis afficiunt quæ oculis quam quæ auribus percipiuntur; nec naufragi solum, sed & patroni quidam in foro idem factitabant, imo & quicunque insigni aliquo periculo fuerant liberati.

Paraphrasis. Si quis naufragus naufragii sui imaginem in tabula pictam & ex humero suspensam circumferat ad movendam misericordiam & emendicandam stipem, si (inquam) is naufragus cantet, an cantu suo animum meum ad misericordiam inflectet; numnam ego in talem naufragum eleemosynam conferam? minime vero. Quicunque enim querela sua cupiet animum meum ad misericordiam & commiserationem inflectere, vere is dolebit, & flebit, & à vero dolore ejus lachrymæ proficiscentur, non ficto aut affectato: sic orationem nimia arte & nocturnis lucubrationibus plus satis elaboratam non probo: quippe quod nec oratori nec ipsi causæ quid conferat apud æquum & sagacem judicem.

1 Sed

1 *Sed numeris decor est, & junctura addita crudis.*
10 *Claudere sic versum didicit* 2 *Berecynthius* 3 *Atys.*
Et qui cæruleum dirimebat Nerea 4 *delphin.*
Sic costam longo subduximus 5 *Apennino.*
11 *Arma virum. nonne hoc spumosum, & cortice pingui,*
12 *Ut ramale vetus prægrandi subere coctum?*
13 *Quidnam igitur tenerum, & laxa cervice legendum?*
Torva 6 *Mimalloneis implerunt cornua bombis:*
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, & 7 *Lyncem Mænas flexura corymbis,*
8 *Evion ingeminat: reparabilis adsonat Echo.*
14 *Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni*
Viveret in nobis? summa delumbe saliva
Hoc natat in labris; & in udo est Mænas, & Atys.
9 *Nec pluteum cædit, nec demersos sapit ungues.*

1 *Sed numeris decor est, &c. Argumentum.* Sexta lectio est, in qua à figurarum affectatione in prosa transit ad versuum rhythmos; in iis intolerabiles qui granda scribere agressi majestatem heroici carminis puerilibus his ineptis infringerent.

2 *Berecynthus.* Berecynthus nomen est montis Phrygiæ, in quo Cybele deorum mater, priscorum ritu colebatur: unde Berecynthia dicta est.

3 *Atys.* Atys apud poetas pueri formosissimi nomen est, quem Cybele casto amore adamavit, cumque sacris præfecit, ea lege ut perpetuo castitatem conservaret. Sed cum postea voti sui parum memor Sangaritidem Nympham compressisset, ab irata dea in furorem actus testes sibi exemit, cumque etiam manus sibi afferre conaretur, miseratione Cybeles in pinum arborem mutatus est: id cum à Cybele factum sit, hinc Atys Berecynthius dicitur.

4 *Delphin.* Respicit hic fabulam de Arione: Arion cytharœdus nobilis fuit & poeta Lyricus, ex Methymna Lesbi civitate ortus. Hic cum ex Italia rediret, ubi ingentem pecuniæ vim arte sua meruerat, & Corinthum trajiceret, videretque insidias strui sibi à nautis, qui opibus Arionis inhiabant, nonnihil spatii ab illis concedi sibi postulavit, quo veluti cygnus moriturus, suas sibi exequias caneret. Quod cum impetrasset, stans celsa in puppi carmen altissima voce cecinit: quo peracto præcipitem se in mare dedit, statimque à Delphine exceptus ad Tænarum Laconiæ promontorium est pervectus salvus & incolumis. 5 *Apennino.* Apenninus mons est, qui Italiam mediam dividit. 6 *Mimalloneis.* Mimallones Bacchæ mulieres à μιμηλάζω imitor, quod Liberum patrem imitarentur, & ad ejus imitationem cornua ferrent. Hinc Mimalloneus, a, um. Mimallones autem Bassarides dicuntur, quia Bassarei, hoc est Bacchi erant sacrificulæ. Dicuntur & Mænades.

7 *Lyncem.* Fingunt poetæ Bacchi currum à lyncibus trahi. Nero autem in Bacchis suis (quas ad exemplum Euripidis scripsit) fecerat Lyncibus suis Bacchas vehi, tantaque facilitate animal ferum ab illis regi, ut pro frænis essent ipsis hederæ, quarum uvæ, quibus coronabatur Bacchus, corymbi dicuntur 8 *Evion.* Inter cætera Bacchi nomina, & hoc Evius vel Evios, ab interjectione Evœ, quam vocem in Liberi patris Orgiis identidem inculcabant Bacchæ. 9 *Nec pluteum.* Pluteus hic tabula ea est qua utuntur ii qui aliquid meditantur. Qui autem moram stilo judiciumve adhibent, ip-

ipso limæ labore, irati interdum aut sollicite cogitabundi vel pluteum cædunt, vel ungues arrodunt, vel caput scabunt.

Paraphrasis. Hunc versum *Sed numeris decor est & junctura addita crudis* profert is qui tota hac satyra vulgarium poetarum causam agit. *Sensus.* Priorum temporum oratores & poetæ artem non tenuerunt orationis concinne componendæ: at novo quodam commento recentiorum hominum (quos damnabat Persius) ad perfectionem perducta est dicendi scribendique facultas. Cum enim numeri crudi essent, &, ut loquitur Plautus, *nondum probe cocti*, orationi huic nondum satis expolitæ addita est nova pulchritudo.

10 *Claudere sic versum.* Respondet Persius. Bene mones. Sane enim præclare isti de Musis Romanis sunt meriti, qui non contenti solutam orationem corrupisse, etiam poetices sacra corruperunt invento novo quodam genere versuum Rhythmicorum, cujusmodi sunt isti Neronis —— *Berecynthius Atys &c.* ubi soni similitudo occurrit vel in conjunctorum versuum ultimis syllabis, vel in ejusdem versus medio & fine. Sicut ex allatis à Persio exemplis constat. 11 *Arma virum &c.* Nero & similes poetæ in quos Persius invehitur, grandiloquentiam & majestatem Neroniani carminis assequutos se sperabant. Itaque hic malorum poetarum patronus eorum causam Virgilii scilicet auctoritate defendere conatur. *Sensus.* Nonne Virgilius grande opus aggrediens grandi illo exordio usus est? *Arma virumque cano.* Nonne hic character tumidus & cum arbore grandis ac pinguis corticis (cujusmodi suber est) comparandus? 12 *Ut ramale vetus, &c.* Responsio Persii allegorica: metaphoram enim continuat, qua usus fuerat Patronus, qui dixerat Virgilii poemata esse cortice pingui. concedit crassum corticem hoc est sublimitatem habere Maronis carmina: sed tumorem vanum negat illis inesse. Est enim Maroniana sublimitas castigata & vera, non inanis solummodo sublimitatis species. Itaque non comparanda cum quavis arbore grandis corticis, sed cum illa arbore sive ramo, qui natura quidem magni sit corticis, sed quem longa dies & solis radii siccaverint, multumque imminuerint. Ramorum enim excisorum soli expositi cortices humore omni exhauriuntur, quo antea tumebant. 13 *Quidnam igitur tenerum, &c.* Colloquentis cum Persio verba sunt. *Sensus.* Cum igitur de scripto recitanda sunt carmina, quod carmen pulchrum habendum & more ac gestu delicatorum pronunciandum? subjicitur ironica Persii responsio. Quæris quinam versus pulchri sint judicandi? qui demum nisi isti & istis similes *Torva Mimalloneis, &c.* ubi in his vocibus notabis rhythmicum concentum, *Mimalloneis, bombis; vitulo, superbo;* deinde in fine primi & tertii *bombis, corymbis;* & rursus in fine secundi & quarti *superbo* & *echo* quæ soni vel vocis repercussio est. 14 *Hæc fierent, &c.* Censura Persii. *Sensus.* Si quid paterni & virilis roboris in nobis maneret, an rhythmica hujusmodi carmina aut faceremus aut probaremus? At Nero eorum auctor adeo vir non est, ut mollitie certet cum fœminis. Itaque nihil mirum, si ejus poemata elumbia sint & enervata. Nam vox ipsa illius loquentis non virum notat sed fœminam. Et quemadmodum coria vel alia multa aquæ immersa & madefacta robur suum prius amittunt, fiuntque languida & mollia: sic hujusmodi carmina mollia sunt fœminea & enervata, neque ullo labore parta. Nec enim redolent oleum & lucubrationem solicitudinemque vere doctorum, sed levium sunt hominum, qui animi solum causa, & ut videantur docti literas tractant.

Observationes nonnullæ. Priusquam progrediamur ad epilogum, observationes subjiciemus, ut præcedentia ad usum transferamus. 1 In studiis vitanda est vanitas & putida laudis tanquam præcipui finis affectatio. 2 vitandi Gnathones, qui lucri studio ad fœdam assentationem eruditi sunt. 3 vitanda hæc vitia in carmine; tenera nimis mollities sine nervis, præpostera grandiloquentia supra ætatem, supra vires: rancida exoletarum vocum affectatio, perinde ac si cum Evandri matre loqueremur. Quin & caveant prudentiores in re seria aut ubi de capite agitur ineptis figuris & vibrantibus sententiolis importune lascivire: ridiculum etiam habeatur cum Nerone rhythmico concentu carmen enervare.

[1] *Sed quid opus teneras mordaci radere vero*
Auriculas? vide sis, ne majorum tibi forte
[2] *Limina frigescant; sonat heic de nare* [3] *canina*
Litera. [5] *Per me equidem sint omnia protinus alba,*
Nil moror, Euge, omnes, omnes bene miræ eritu-
res.
Hoc juvat, [6] *heic, inquis, veto quisquam faxit*
oletum.
Pinge duos [4] *angues: pueri, sacer est locus; ex-*
tra
Meite. discedo. [7] *secuit* [8] *Lucilius urbem,*
Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis:
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admissus circum præcordia, ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.

1 *Sed quid opus, &c.* Divisimus hanc satyram in tres partes, quarum duæ jam fuerunt; succedit tertia, nempe Epilogus, cujus duæ rursus sunt partes. 1 habetur dialogismus Persii & Monitoris; 2 agitur de Lectore quem exigit Persius. Dialogismi argumentum hujusmodi est. Hactenus rationibus conatus est Monitor Persium à proposito dimovere: quibus cum intelligeret se nihil proficere, palam sub finem satyræ minas intentat & certissima ni sibi caveat, pericula denunciat. 2 *Limina.* Refer hoc ad quotidianarum salutationum formulam: nam qui parum grati erant durius tractabantur ab admissionum Magistris & Ostiariis, & sportula fraudabantur; quæ mane salutantibus dabatur. 3 *Canina litera.* R literam designat, qua sonare quis dicitur cum irritatus minas funditat. Proprie in canibus hirrientibus hoc locum habet.

4 *Angues.* Summæ impietati tribuebant veteres in loco sacro vesicam vel alvum exonerare. Itaque apponebatur indicium loci consecrati deorum vel Heroum honori: ejus rei symbolum apud veteres fuere duo angues.

Paraphrasis. Sed quid opus offendere teneras procerum aures veritate quæ illis amara & mordax est; ac proinde odium parit. Cave igitur ne incipias potentibus ac Neroni inprimis odiosus esse, & ne mane eos salutaturus durius ab ostiariis tracteris, ne admissionum Magistri ac Janitores te prohibeant liminibus Neronis & Procerum non sine minaci vultu & irritato, canis hirrientis in morem.

5 *Per me equidem.* Respondet Persius Ironice. *Sensus.* Per me equidem sint omnia laude & approbatione digna. Omnem jam pono curam publicos mores carpendi ac proinde satyræ scribendæ. Adeo Censoris tristem personam exui, ut contra laudare ex æquo omnes bene aut secus vitam instituentes sim paratus. Numnam hoc vobis placet? sane equidem. Etenim hoc vultis & hoc exigitis à clientibus amicisque vestris minoribus, ut vestra omnia assidue mirentur. Hoc scilicet unum vos delectat. 6 *Heic, inquis, veto.* Hanc Procerum Romanorum mentem pluribus verbis explicat. *Sensus.* Nempe hoc ais pro sacrosanctis haberi velle Neronem & illi similes proceres: atque ut grande nefas existimatur, si quis in loco sacro alvum exonerarit aut minxerit, sic postulare ipsos, ut pari religione caveant omnes vel joco vel serio eos carpere. 7 *Secuit Lucilius, &c.* *Argumentum.* Posita Ironia consilium prius suum exemplo Lucilii atque Horatii confirmat. 8 *Lucilius.* Poetæ vetustissimi nomen, qui primus Latinorum Satyram scribere aggressus est. Ubi mores Romanæ urbis, nominatim autem Rutilium Lupum & Mutium Albutium atque alios nobiles Romanos carpsit.

1 *Men*

² *Men' mutire nefas*, ¹ *nec clam, nec cum scrobe, nusquam?*
³ *Heic tamen infodiam.* ⁴ *Vidi, vidi ipse, libelle:*
Auriculas asini quis non habet? Hoc ego opertum,
Hoc ridere meum tam nil, nulla tibi vendo

1 *Nec clam, nec cum scrobe.* Midas Rex Phrygum quum inter Apollinem & Marsyam decertantes judex constitutus esset, ac ipse secundum Marsyam judicium tulisset, auriculis asininis à Phœbo fuit donatus. Quas tam occulte celavit, ut nemo sciret præter solum tonsorem: qui quum rem inauditam tacere non posset, fossam ingressus proclamavit, Aures asininas habet Rex Midas. Deinde fossam terra adoperuit, successuque temporis creverunt illic arundines, quæ commotæ vocem quam tonsor infoderat, reddiderunt. Vid. Ovid. 11 Metam.

Paraphrasis. Non ego minas tuas, ô Monitor, vel flocci facio, neque à proposito desistam. Quid? nonne idem mihi liceat quod aliis satyrographis, Lucilio nempe & Horatio? Lucilius irrisit & populi Romani publicos mores & nominatim proceres, idque summa cum acerbitate, more canum qui inter mordendum tanta vehementia dentes infringunt, ut ipsos maxillares frangant. Horatius vero qua est ingenii calliditate dum satyris suis aliorum vitia perstringit, eas ita condiebat lepore, ut vera promens Lectori risum eliceret, ipse interea ridens: & ubi penitius in eorum quos irridet animos penetrarit, tum vero callide & astute ludendo circum præcordia admittitur: dumque eos subsannat, illos imitatur, qui aliquid elevantes sursum versus caput quatiunt.

2 *Men' mutire.* Plena modestiæ oratio. Sic enim loquitur, quasi futurum sit ipsi satis inter amicos familiares de corrupta à Nerone & Neronianis poesi intra privatos parietes conqueri: quod minus est eo quod Lucilius & Horatius voluerunt sibi licere. *Sensus.* Cum alii tam aperte taxarint procerum & populi vitia, an capitale mihi fuerit clanculum saltem & in scrobe mutire?

3 *Hic tamen infodiam.* Quamvis tu, ô Monitor, dissuadeas, ego tamen judicii mei testem satyram scribam: non ut eam temere in lucem edam, sed quia amor rectæ eruditionis præ indignatione æquissima me cogit; ac primo quidem hanc satyram huic chartæ credam: deinde eam occultabo, & quasi aggesta humo obruam.

Nota. Vox (*infodiam*) duas actiones hic denotat, quarum utramque exponit Ovidii illa fabula de Mida 11 Metam. de qua supra.

4 *Vidi, vidi ipse.* His paucis verbis summa ac præcipuus scopus hujus satyræ primæ continetur. Brevissima enim hac censura suum ostendit judicium de Neronis poesi, & omnium qui ejus exemplum sequuntur: sed animi sui mentem allegoria pulcherrima extulit. Verba tonsori regis Midæ conveniunt. —— *secedit, humumque Effodit: & domini quales aspexerit aures Voce refert parva: terræque immurmurat haustæ.* Sed tum dicendum fuerat, *O scrobs*: pro quo dixit, *O libelle.* Cæterum sensus & poetæ mens sic postulant verba accipi, quasi esset scriptum: etsi palam quod sentio dicere non licet: ego tamen profiteor, atque hujus mei judicii testem te, mi libelle, apud posteros esse cupio: profiteor, inquam, de Nerone & Neronianis, qui sacra Musarum turpiter inquinant, ita judicare me, ut meros esse asinos pronunciem. Quod vero attinet ad hanc meam satyram occultam illam & ad movendum risum appositam, cum nulla Attii Labeonis Iliade ut commutem nullo pretio induci possum, id est montes auri non mercam, ut mutato ingenio Labeo fierem, vel quilibet alius ex ineptis istis poetis, qui assentando & misere versificando Neronis amicitiam nacti vulgo ceu beati prædicantur.

Nimirum pluris facit hic Persiam generosam, qua utitur in hoc libro in vitiis carpendis, libertatem: quam cujusquam gratiam aut spem ullorum commodorum. Nota itidem Labeonem hic nominatum esse in exemplum eorum poetarum, qui tunc florebant & gloria & gratia. Adeo ut hæc verba referen-

da sint ad illa præcedentia *Ne mihi Polydamas & Troiades Labeonem prætulerint.* Ibi dicebat damnari consilium suum de satyra scribenda ab illo suo Monitore, quia Proceres Romani vel Labeonis Iliadem ipsius satyris essent anteposituri: nunc postquam causas consilii sui fuse explicavit, ad ea verba contemptim respondet.

Iliade. [1] *Audaci quicunque afflate* [2] *Cratino,*
Iratum [3] *Eupolidem* [4] *prægrandi cum sene palles,*
Aspice & hæc, si forte aliquid decoctius audis;
Inde vaporata lector mihi ferveat aure.
[5] *Non hic, qui in* [6] *crepidas Graiorum ludere gestit,*

1 *Audaci quicunque afflate Cratino. Argumentum.* Secunda est epilogi pars qua respondet illis Monitoris verbis, *Quis leget hæc?* atque hic docet quem Lectorem desideret; non Neronem, non Patritios, non assentatores, de quibus supra; nec philosophiæ aut philosophorum irrisores, de quibus satis prolixius; verum eos qui veterum poetarum scriptis fuerint innutriti; quippe quod ii summa cum libertate aliorum vitia taxarint.

2 *Cratino.* Cratinus poeta fuit Comicus maledicentissimus, unde audax dicitur, clarus apud Athenienses; apud quos primus satyricam fabulam induxit. 3 *Eupolidem.* Eupolis poeta fuit item Comicus, ac priscæ comœdiæ scriptor in reprehendendis hominum vitiis liberrimus. Periit in prælio navali inter Athenienses & Lacedæmonios commisso juxta Hellespontum: cujus mors quantum civitati luctum attulerit, vel illud unum abunde magno esse potest documento, quod publico edicto cautum sit, ne poetæ in posterum militare liceret. Sed cur iratum Eupolidem dixit, cum jocis & salibus abundarit, qui non conveniunt iratis? an iratum dixit pro tristi & severo: quod epitheton est omnium qui vitia reprehendunt? An ad peculiarem aliquam illius fabulam respicit, cujus scriptionem susceperit iratus? 4 *Prægrandi cum sene.* Aristophanem hic intellige, qui Comicus mordacissimus, ob quam libertatem *senem* eum appellat. Quo nomine Horatius *senem* appellat Lucilium, cum tamen annum ætatis quadragesimum sextum non excesserit.

Paraphrasis. Unum jam restat ut qualem Lectorem desiderem doceam, ut ad verba illa *Quis leget hæc?* serio tandem respondeam Quod ut pateat sic accipe. Tu, ô qui audacis Cratini fabularum lectione assidua fueris affectus, & amorem virtutis inde conceperis, qui inde veritatis aura vel odore fueris afflatus, quique Eupolidis irati, & prægrandis illius senis Aristophanis scripta ita versaris, ut pallorem inde contraxeris, has meas etiam satyras lege, ac vide, si forte in his aliquid tua lectione non indignum, si quid limatius aut castigatius, vitiosis & supervacuis versibus aut verbis detractis. Opto mihi contingat studiosus & frequens Lector ex eorum numero, qui aures purgatas habeant lectione diligenti veteris Græcorum comœdiæ.

5 *Non hic qui in crepidas, &c. Argumentum.* Dixit à quibus sua velit legi: nunc monet à quibus nolit. Horum duo genera facit. Priore loco eos ponit, qui odio Græcorum omnem transmarinam sapientiam oderant ac ludibrio habebant: deinde illos qui omne Philosophiæ studium in universum damnabant, & illius magistros ac sectatores irrisui habebant. Istos à libelli hujus lectione submovet Persius, & sua jubet curare. Cujusmodi autem essent studia quibus erant dediti philosophiæ vituperatores, ex postremo versu cognoscemus.

6 *Crepidas.* Crepidæ Græcorum erant propriæ, ut calcei Romanorum. Hic vero per crepidas intellige totum Græcorum studium, quo usos esse illos elegantiores vel ex eo constat, quod Proceres Romani cum vellent animum remittere atque hilarius vivere, Neapoli præsertim vel Athenis, vel alibi inter Græcos pallium & crepidas assumebant.

Sordi-

Sordidus, 1 *& lusco qui possit dicere, lusce;*
7 *Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus,*
Fregerit Heminas 2 *Areti Ædilis iniquas.*
8 *Nec qui* 3 *abaco numeros, & secto in pulvere metas*
Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
Si 4 *Cynico barbam petulans* 5 *Nonaria vellat.*
His mane 6 *edictum, post prandia Callirhoën do.*

1 *Et lusco qui.* Perversissimi moris est debiles vel aliqua corporis labe insignes irridere, & exprobrare debilibus debilitatem suam & corporis vitia iis, quibus fingendis natura peccasset.

2 *Areti.* Aretum civitas Tusciæ, cujus incolæ dicti Aretini: sic vasa fictilia quæ in ea fiebant Aretina appellabantur. Per Aretum autem hic intellige quodlibet obscurum municipium Italicum. Municipia autem multa ac coloniæ suos habuere Ædiles, ad quorum curam rei frumentariæ disciplina & coercitio pertinebat. De mensuris igitur iniquis cognoscebant, &, ut ait Juven. Sat. 10, vasa minora frangebant. Iidem ne quis malas merces venderet impediebant. 3 *Abaco, pulvere.* Ut Arithmetici numeri in Abacis discuntur, ita Geometricæ figuræ in pulvere describi solent.

4 *Cynico.* Cynici philosophi quidam fuerunt sectatores Antisthenis, ita dicti à canina mordacitate: quia in hominum vitas nullo discrimine invehebantur. Ex hac secta fuit Diogenes ille Cynicus. His placebat finem esse secundum naturam vivere: nobilitatem & divitias abjiciebant: magnæque sibi laudi ducebant mirabilem patientiam ostentare. Itaque iis vulgo omnes illudebant, variisque contumeliis vexabant. Quin & solitæ à petulantibus mulieribus meretrices cum illis committi, unde necesse erat eorum omnium irrisum sequi, qui certaminis illius essent spectatores. 5 *Nonaria.* Impura meretrix, ideo sic dicta, ut annotat Cornutus, quod nonnisi à nona hora talibus liceret prostare, ne consuetæ exercitationes mane à juventute intermitterentur. 6 *Edictum.* Edicta sunt Consulum, Prætorum & Ædilium literæ, in quibus aliquid imperatum. Nam edicere proprie est denunciare ut quid fiat aut non fiat, & est proprie magistratuum. Edictis his mane fuit locus, quia Ædiles & alii magistratus mane judicia exercebant & sicci. Hinc illud Mart. *Exercet raucos tertia Causidicos.*

Paraphrasis. Non hic qui in crepidas. Quatuor versibus duas affert notas primi illius hominum generis, id est eorum qui transmarinam sapientiam ludibrio habebant. *Sensus.* Non hic mihi Lector sit, qui Græcis suam in cultu elegantiam criminis loco objiciunt: cum ipsi vel multo magis sint reprehendendi propter sordes & avaritiam, vel irridendi propter affectationem ineptam illuviei & neglecti cultus: quasi id esset certissimum militaris animi argumentum: nec ille mihi placet qui Græcos homines luscos, id est græcanicis vitiis laborantes ridere amat, luscus ipse & iisdem vitiis obnoxius.

7 *Sese aliquem credens.* Hæc altera est nota, & prioris vitii fons: nam isti Græcos, vel, ut loquebantur, Græculos ideo aspernabantur, quia erant ipsi arrogantes ac superbi; primum quidem ut Romani cives, vel Itali: deinde ut dignitate aliqua ornati aut Romæ, aut in municipiis Italiæ.

Sensus. Ideo arrogans & animi vitium ipso gestu corporis palam faciens, quod Ædilitate fungeretur non in urbe sed in Italico aliquo municipio, puta Areti. Quæ dignitas, per se non magnæ rei, levibus tamen hominibus inflandis sufficiat.

8 *Nec qui abaco.* Hic alterum genus hominum declaratur; quos lectione

ne suarum satyrarum prohibet Persius Nempe ii, qui Geometriæ ac Arithmeticæ professores irridebant, imo universam Philosophiam, quod fecerunt fere semper Romanorum plerique.

Sensus. Hujusmodi Lectorem nolo, qui quod irrisui habeat Philosophiam omnem & Philosophos, ideo si in publico Cynicum aliquem conspiciat, in more habet, aut sanna eum excipere, aut convitium ei dicere, aut barbam vellere, aut alio quovis modo molestiam ei exhibere, vel per se vel per meretricem aliquam perfrictæ frontis & deploratæ impudentiæ. Hujusmodi sannionibus sua studia relinquo. Duo enim solummodo curant; forum propter avaritiam, & lupanaria amore meretriculæ.

A. PERSII FLACCI

SATYRA SECUNDA.

Argumentum.

Hac ſatyra ſecunda agitur de corrupto & incorrupto Deorum cultu. Satyræ tres ſunt partes. 1. aditum ſibi facit ad doctrinam ſequentem. 2. agitur de cultu corrupto. 3. de cultu incorrupto.

Hunc, 1 Macrine, 2 diem numera meliore 3 lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
5 Funde merum 4 Genio. non tu prece poſcis emaci,

1 *Hunc, Macrine, diem, &c. Argumentum.* Macrinum familiarem ſuum laudat, quod ſcientiam bene orandi ac vota faciendi teneret: neque vulgi erroribus hac in re implicaretur. Ii cujuſmodi ſint deinceps explicatur. 2 *Hunc diem.* Moris erat dies amicorum natales miſſitatione donorum cohoneſtare: unde ſoliti ſunt viri docti, opuſcula ſua ad amicos eruditos natalitii titulo mittere. Ac quoniam magna religione natali die vota concipiebantur in annum proximum aut plures ſequentes: inde occaſionem ſumit Perſius de votis cum Macrino diſſerendi Videtur autem hic Macrinus condiſcipulus fuiſſe Perſii, quem (erat enim Macrinus aliquanto quam Perſius grandior) Perſius coluit ut patrem, ut ait auctor vitæ Perſii. 3 *Meliore lapillo.* Numerare vel ſignare lapillo albo aut calculo, proverbialis eſt loquutio, ad exprimendam cujuſque gaudii ſignificationem. Videtur tamen hic Perſius Thraciæ gentis ritum ſpectare, quæ candidis & atris lapillis ſolita numerare ac diſtinguere dies lætos à triſtibus. Candidus itaque lapillus paſſim apud ſcriptores nota eſt rei aut temporis læti. 4 *Genio.* Genius naturæ Deus eſt, ita dictus à gignendo, quia ut gignamur curat: ſive quod una nobiſcum gignatur, vel quod nos genitos ſuſcipiat ac tueatur; eſt etiam hoſpitalitatis ac voluptatis Deus; hinc loquutiones illæ, curare genium, indulgere genio, fraudare vel defraudare genium. 5 *Funde merum.* Quotidie fieri ſolitæ ſunt libationes in menſis antequam tollerentur, quia menſas Geniis ſacras fuiſſe liquet Sed propriiſſima hujus loci eſt ridicula illa meri fuſio in caput Genii Dei. Nota autem nullum vinum idoneum fuiſſe ſacris niſi purum: non autem vinum aqua miſtum. Quotannis autem natali die ſacra hæc ſolennia fiebant Genio, ut totum illum annum fortunaret. Præter hanc libationem alia ſacra die natali locum non habebant, nec enim legimus ullam victimam eo die mactatam in honorem Genii

Paraphraſis. O Macrine, hunc diem tuum natalem genialiter age: & in dierum auſpicatorum numerum refer, apprime ſane mihi laudandus videris, quod vulgi erroribus in negotio religionis non ſis implicitus; quippe tu is es qui nec in votorum materia nec forma cum aliis peccas. Non in materia, quia nihil à diis petis parum honeſtum, ac cujus te pudere debeat: non in forma vel modo, quia nullam cum diis nundinationem exerces: ac ne precibus quidem nimis cupidis ac anxiis deos ſollicitas, quod ſuperſtitioſi ſolent: ac propterea nulla vota facis quæ palam non poſſis nuncupare, & voce elatiore: non eos imitaris qui cum ſecreto cum aliquo loqui vellent, eum à turba ſeducunt, ne aliquis Corycæus exaudiat.

1 *At bona pars procerum, &c. Argumentum.* 2 satyræ pars qua errores in deorum cultu reprehenduntur. Variis autem modis deos sibi propitiare conabantur ignari veritatis Ethnici 1. precibus. 2. superstitiosis ritibus. 3. sacrificiis. 4. donariis. Pro quadruplici hoc cultu secundæ hujus partis quatuor sunt sectiones. Prima ergo damnantur flagitiosæ preces & vota. Ac quidem etsi & præcedenti & isto & sequenti versu videatur Poeta tacitas preces & templorum susurros reprehendere: non tamen illud est, quo præcipue spectat, sed ad gravissimum peccatum quod murmurandi consuetudine tectum latebat.

Quæ nisi seductis nequeas committere divis.
1 At bona pars procerum tacita libabit 2 acerra,
Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto,
6 Mens bona, fama, fides, hæc clare, & ut audiat hospes.
Illa sibi introrsum, & sub lingua immurmurat: ô si
Ebullet patrui præclarum funus! & ô si
Sub rastro crepat argenti mihi seria, dextro
3 Hercule! pupillumve utinam, quem proximus hæres
Impello, 4 expungam: namque est scabiosus, & acri
Bile tumet. Nerio jam tertia ducitur uxor.
Hæc 7 sancte ut poscas, 5 Tyberino in flumine mergis
Mane caput bis, ter-ve, & noctem flumine purgas.

2 *Acerra.* Arcula fuit in quam thus reponi solebat, quo diis sacrificabatur: alii putant aram esse, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebant. Cornutus putat esse pateram in qua libatur. Virg. —— *& plena supplex veneratur acerra.* 3 *Hercule.* Non Mercurius solum, sed & Hercules à studiosis rei faciendæ colebatur. Itaque non minus Herculi quam Mercurio solitum polluceri à repente ditatis. 4 *Expungat.* Est hæc vox petita è numeris militum vel è libris rationum. In illis militum nomina post missionem aut mortem delebantur: in his, ut quodque nomen vel debitum erat solutum, inducebatur. 5 *Tyberino.* Mos omnium veterum, ut priusquam ad deos adirent aut sacra facerent, sese purificarent. Hic vero pro locorum aut sacrorum diversitate multiplex fuit observatio. Nam alii maris aqua se lavabant, alii lavabantur flumine, alii aqua fontana. Præterea alii totum lavabant corpus: alii tantum caput: atque alii bis caput mergebant, alii ter. Sic aquam è fonte haustam in caput invergebant, alii bis, alii ter. Paraphrasin per partes & hic & alibi pro re nata diffundo, præsertim cum argumenti prolixitas id exigat.

Paraphrasis. At plerique fere omnes proceres hodie tacite & clam sua vota faciunt. Non est facile cuivis ita affectus suos recta ratione gubernare, ut nihil optet; nihil à superis petat, nisi quod ratio præscripserit: adeo ut non necesse habeat clausis inter precandum labris susurrare, aut ullum votum facere quod nolit esse apertum.

6 *Mens bona.* Mimesis venusta: ipsas enim voces ponit optantium: ubi nota singularem vota facientium hypocrisin. *Sensus.* Quæ legitima sunt vota, (qualia hic habes) ea aperte adeo concipiuntur, ut incorruptæ pietatis suæ cultor iste quisquis est, cupiat hospitem suum testem & conscium habere.

Alia

Alia vero optantur clanculum, ne quis alius exaudiat; nempe hæc quatuor aut quid his simile. 1. O si patruus meus moriatur, ut me hæredem testamento suo instituat, utque ejus hæreditatem extincto eo adeam: quod si contingat, sane præclarum funeris atque exequiarum apparatum illi polliceor. 2. O si repente & præter spem thesaurum inveniam aliquem, Hercule mihi amico. 3. Utinam efferatur pupillus ille, cui ego sum proximus; ut illi in hæreditatem succedam, eoque extincto & de medio sublato in vacuum ipse veniam. Namque videtur illi mors imminere, siquidem scabiosus est & ex acris choleræ redundantia tumet illi corpus morbidum & cachexiæ plenum. 4. O si novis dotibus ditescam exemplo Nerii, qui post duas uxores elatas jam tertiam ducit, unde tertia dos illi obvenit. 7 *Hæc sancte. Sensus.* Et ut religiose scilicet hæc à diis poscas, purificationibus matutinis de more uteris. Sic purificatus non videris tibi improba vota numini offerre, quanquam tam impia sint & exosa diis, quam quæ maxime. Qui impia hæc vota faciebant soliti semper sunt aliqua ratione pudori suo consulere & nefandam cupiditatem velare. Eo pertinent ista, *præclarum funus*; & quod paulo post, *Namque est scabiosus & acri bile tumet.* quasi cupiditas alienæ mortis ex commiseratione oriatur, non ex malo animo. Sic honeste quartum votum licet improbissimum exprimitur. Neque enim avarus ille directe uxori suæ mortem optat: quæ tamen voti hujus summa erat: sed alium prædicans beatum cui hæc fortuna sæpius contigerit, figurate quid ipse capiat ostendit.

[1] *Heus, age responde, minimum est quod scire laboro:*
De Jove quid sentis? Est-ne ut præponere cures
Hunc cuiquam? cuinam? Vis [2] Staio? an scilicet hæres?
Quis potior judex, puerisve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere tentas,
Dic agedum Staio; pro Jupiter ô bone, clamet,
Jupiter! at sese non clamat Jupiter ipse?
[5] *Ignovisse putas, quia, cum tonat, ocius ilex*
[6] *Sulfure discutitur sacro, quam tuque, domusque?*
An quia non fibris ovium, [4] Ergennaque jubente,
Triste jaces lucis, evitandumque [3] bidental,

1 *Heus age responde, &c. Argumentum.* Quam improba & iniqua sint superiora vota venustissimo dialogismo ostendit Persius. Sic autem disputat; Nemo quantumvis sceleratissimus pro tribunali sedens judex vocem illius ferat, qui talia à se petat, nummam ergo Jupiter ea ferat? unde colligere est, horum votorum auctores, Jovem & deos alios sibi fingere longe iniquiores & scelestiores, quam ullus hominum possit reperiri. 2 *Staio.* Ex historia famosissimi illius Judicii Juniani; quam narrat Cicero in Verrem, mutuatus est Persius Staii nomen. Nullus enim unquam illo turpior aut inquinatior judicum consessus. In ea causa judex fuit Staius aut Staienus, & cum cæteris fœdam nundinationem exercuit. 3 *Bidental.* Moris erat ut icti fulmine quo loco erant extincti, ibi relinquerentur, neque instar aliorum cremarentur. Locus ipse sacer habebatur ac certis ceremoniis sacra eo loci fiebant. Neque id semel solummodo sed in posterum etiam locus religiose colebatur, aris etiam ibi positis & reliquo sacrificiorum apparatu: ex hoc itaque ritu fulguritum describit Persius: atque nota locum pro re locata hic sumi. Nam *bidental* proprie locus est in quo fulguritus fulmine fuit ictus, hic pro ipso fulgurito sumitur. Locus autem *bidental* dicebatur, quod in eo bidenti-

dentibus, id est ovium fibris sacrificabatur. Nota præterea *evitandum* dici, quia locus erat consecratus & circumseptus altari etiam adjecto. Ideo, ut Marcellinus ait, hoc modo contacta loca nec calcari debere fulgurales libri pronunciant: ac proinde locus ille luco erat similis; quicquid enim in luco nascitur intactum manet. 4 *Ergennaque jubente*. Nomen est Etruscum, ut Porsenna, Sisenna, Perpenna, & similia. Fuit autem Ergenna fulgurator & interpres ostentorum, qui consultis mactatarum ovium fibris quid opus esset docebat.

Paraphrasis In paraphrasi hac Persii & Impii verba duabus his initialibus literis P. & I. sic distinguemus. P. Heus age tu qui scelerata vota, cujusmodi superiora sunt, diis offers, responde mihi aliquid quærenti. Minimum fortasse tu putas quod propositurus sum. Quæ tandem tua est de Jove sententia? anne putas Jovem hunc mortalium ullo meliorem aut justiorem esse? I. Quonam? P. Quæris ne quonam judice humano putem Jovem justiorem? possem quidem dicere ex universo genere humano nullum esse hominem cum Jove comparandum. Sed hoc non dico. Neque enim summo jure tecum agere volo. Illud dico quod negare non potes, Jovem Staio saltem præstare. Hæc igitur vota quæ tu Jovi insusurras, age coram Staio profundito. Enimvero quamvis omnium bipedum nequissimus sit Staius, adeo tamen vota ejusmodi detestatur, ut ilico in has voces erupturus sit, pro Jupiter! ô bone Jupiter! quod si vel Staio adeo displicitura hæc vota, nonne multo magis Jovi ipsi displicebunt, & ipse indignabundus clamabit in hunc modum, pro Jupiter! tantamne ergo impietatem impune feret iste, qui his votis te sollicitat?

5 *Ignovisse putas*. Respondebis fortassis, Impie: At si Jovi hæc vota displicerent, proculdubio hanc impietatem ulcisceretur; at non ulciscitur, ergo non est verisimile ea vota Jovi displicere: quin potius ignoscere, si quid vitii subsit. Hæccine tua sententia? numnam ideo putas ignovisse, quia cum tonat fulmine ilico non iceris & jaces in luco aliquo fulguritus, & ex Ergennæ præscripto consultis prius mactatarum ovium fibris, sis omnibus triste ac evitandum spectaculum? an idcirco ludibrio Jovem habes? ac, perinde ac si petulantiæ tuæ ludibrium deberet, barbam instar fatui & abjectissimi hominis vellendam tibi præbet? aut si negas ludibrio à te Jovem haberi, an non metuis ne malum te male perdat? nisi forte dicturus es, te iram ejus placaturum sacrificiis tuis ac donis. Sed quod tandem munus à te offerendum putas, ut hac mercede illudere ejus auribus possis, ac nefaria hoc genus vota illi proponere? an dices donis ac sacrificiis posse te deos demereri? scilicet auro aut argento flectuntur divi? qui illa non pluris faciunt quam pulmonem & lactes, id est, ovium intestina.

Nota, his appellationibus Persium complecti quæcunque diis offerri solent, libationes, hostias, victimas, hecatombas & quantumvis pretiosa donaria.

6 *Sulfure*. Id est fulmine sulfuris odorem habente; *Sacro*, quia à Jove provenit, vel sacro, id est execrabili, ut Auri sacra fames.

Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam
Jupiter? aut quidnam est, qua tu mercede Deorum
Emeris auriculas? pulmone & lactibus unctis?
1 *Ecce avia, aut metuens divum matertera, cunis*

1 *Ecce avia, &c. Argumentum.* 2. Sectio qua muliercularum superstitio taxatur, quæ cum alias, tum vero maxime locum habuit, cum infantium dies lustricus esset obeundus. 2 *Cunis exemit*. Diem lustricum describit hic Persius, eaque quæ die illo fieri solita. Olim non statim ut erat natus infans aliquis & tolli jussus pro vitali partu habebatur, sed aliquam multi exspectabantur dies, qui fidem facerent vitalis partus: plena fides apud Græcos septima vel decima die parta credebatur. Sed prius lustrabatur infans

infans, quod quinto die Græci factitabant. Romani de partu, vitalis esset nec ne, Pilumni lectum consulebant: hinc illud Servii, *Varro Pilumnum & Picumnum infantium deos esse ait, eisque propuerpera lectum in atrio sterni, dum exploraretur an vitalis sit, qui natus est.* Hactenus Servius. Et non dubium spectasse eodem Junonis mensam, quæ per totam hebdomadem proponebatur: postea lustricum infantium diem celebrabant: qui fuit apud Romanos octavus puellarum, nonus puerorum. Ille dies & lustricus nominatur, quia lustrabatur infans: item nominalis, quia nomen illi tum indebatur, & vota pro eo fiebant. Ad nominalia hæc conveniebat omnis cognatio. Lustrandi autem partes proprie erant piatricum muliercularum, quæ erant anus recoctæ, circumferendi & omnium rituum illorum superstitiosorum peritæ.

1 Exemit puerum, 2 frontemque atque uda labella
Infami digito, & lustralibus ante 3 salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.
4 Tunc manibus quatit, & 5 spem macram supplice voto,
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.
Hunc optent generum Rex & Regina; Puella
Hunc rapiant: Quicquid calcaverit hic, rosa fiat.
Ast ego nutrici non mando vota, negato
Jupiter hæc illi, quamvis te 6 albata rogarit.

1 *Exemit.* Eximebatur cunis puer, ut præsens sisteretur ad sacra, quæ pro ipsius salute tum aliis diis deabusque fiebant, tum etiam deæ Cuninæ. 2 *Frontemque.* Lustrationes veterum peragebantur circumlatione in orbem & affei-catione. Egregius vero hic locus Persii de ritibus quibus recens nati lustrabantur, de quibus in paraphrasi. 3 *Salivis.* In lustrationibus & expiationibus credebant superstitiosi vim quandam mirificam inesse salivæ. Hinc aniculæ fascinum pueris suis timentes, salivam eo valere credebant. Eam ob causam & Cuninæ vota faciebant. Amuleta etiam & res turpiculas pueris appendebant.

4 *Tunc manibus quatit.* Cum pro infantibus vota faciebant, manibus quatere eos solebant, quasi præsentibus diis illos ostenderent. 5 *Spem macram.* Spes latinis familiare est pro pueritia & juventute, item pro puero & juvene. Seneca apud Tacitum: Quartus decimus annus est Cæsar ex quo spei tuæ sum admotus. 6 *Albata.* Albati (hoc est in candida & pura veste) ad deos olim adibant oraturi.

Paraphrasis. Deinceps inter alia transeamus ad ea quæ die lustrico fiunt. Ecce anus & mulierculæ piatrices cum ad Nominalia conveniunt, superstitionis plenum ministerium obeunt die lustrico. Primo enim ut Cuninæ deæ sacra pro salute infantis fiant, cunis puerum eximunt: deinde salivam ad infantis labra & frontem admovent, idque digito infami seu medio, cujus porrectione probrosæ res indicari solent. Ideo autem salivam admovent, quia à fascinantium oculis fascinum pueris timent, quod saliva submovere creditur. Tunc vero manibus puerum quatiunt vota pro eo facturæ, quasi præsentibus diis eum ostenderent: ac votum pro divitiis facturæ infantem tenellum ac ferme adhuc à partu recentem in ditissimi civis Licinii Stolonis campos ac M. Crassi ædes transferunt, & eorum latifundia illis optant, perinde ac si in eorum possessionem puerum votis suis superstitiosa mulier mitteret. Item pro forma ac potentia & absoluta omnibus numeris felicitate anus superstitiosa has fundit preces Utinam infans hic oris pulchritudine aliis ita placeat, ut rex & regina eum raptum in deliciis habeant: adeo felix sit & fortunatus ut quocunque se verterit, quicquid calcaverit, inde violæ ac rosæ nascantur. Ast ego (inquit Persius) stultis his nutriculis malesana hæc vota non permitto,

B 6 quippe

quippe indigna sunt quæ dii exaudiant. Tuque adeo Jupiter respue has preces nutriculæ, quamvis, ut extrinsecus pietatis speciem præ se ferat, in candida & pura veste ad te adeat.

1 Poscis opem 2 nervis, corpusque fidele senectæ:
Esto, age; sed grandes patinæ 3 tucetaque crassa
Annuere his superos vetuere, Jovemque morantur.
8 Rem struere exoptas cæso bove, 4 Mercuriumque
Arcessis fibra: Da fortunare penates,
Da pecus & gregibus fœtum. quo, pessime, pacto,
Tot tibi cum in flammis 6 junicum 5 omenta liquescant?
Attamen hic extis & opimo vincere 7 farto
Intendit. jam crescit Ager, jam crescit Ovile,
Jam dabitur, jam jam, donec deceptus, & exspes
Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.

1 *Poscis opem nervis, &c. Argumentum.* Tertia secundæ partis sectio qua cultores perstringit, & irridet, quorum vita contrariatur votis. Quod quid aliud est quam numen irridere? Ejusmodi hominum duo proferuntur exempla. Prius est illorum qui valetudinem prosperam petunt à superis, & bacchanalia interim vivunt, ac ingluvie sua mortem sibi accersunt. Alterum genus est eorum qui opes deos poscunt, cum ipsi quæsitis non parcant: sed sua incassum dilapident & victimarum immolatione exhauriant. Tertia ergo hac sectione notatur in cultoribus his quos irridet vitæ & votorum antithesis. 2 *Nervis.* Nervi prima sunt in corpore animalis sensus & motus instrumenta, inde in nervis omne robur consistit. Itaque opem nervis poscere est robur aut robustum corpus à diis petere, quod senectuti sit fidele, id est, senectutem sustentet. 3 *Tucetaque crassa.* Apud Gallos cisalpinos bubula caro tucetum dicitur condimentis quibusdam crassis oblita ac macerata: ponitur etiam pro ipsis condimentis, quibus caro bubula conditur, quæ Persius valetudini inimica esse notavit hac satyra.

4 *Mercuriumque.* Lucra, quæ Mercurius lucri deus conciliat, obveniunt vel ex mercimoniis, vel ex studiis & opera forensi, vel ex ruris proventu, vel ex inopinato. 5 *Omenta.* Etsi in honorem deorum majores victimæ maxime mactari solitæ, utplurimum tamen minuta diis adolebant, cætera convivantes absumebant: inter illa minuta, fuit omentum, quod membrana est tenuis, qua integuntur ventris inferioris partes. 6 *Junicum.* Junix, icis. Hinc junices teneræ ætatis sunt boves fœminæ, quæ jam cessarunt vitulæ esse, necdum tamen ad summam magnitudinem pervenerunt: mares autem in eadem ætate juvenci appellabantur. 7 *Farto.* Fartum genus cibi est, à farciendo sic dictum, quod multis variis rebus farciretur. Veteres enim (ut Cato de re rustica scribit) struem farris, tritici, hordei, fabæ, thure & vino additis, in porcæ præcidaneæ immolatione Jano, Jovi & Junoni sacrificabant. Quæ diversarum rerum congeries *fartum* appellabatur. Hic simpliciter pro re diis oblata accipitur.

Paraphrasis. Poscis opem. Sensus prioris exempli. Poscis opem robori corporis quod maxime positum est in nervorum integritate & vigore. corpus etiam poscis cui suæ vires permaneant ad senectam usque: sed votum hoc irritum & inane prorsus facit insatiabilis tua ingluvies, & patinarum (ut Plautus loquitur) struices.

8 *Rem struere.* Alterum exemplum. Hæc duo contraria sunt, rem optare struere, & armenta sua ire minutum: quod sine rei familiaris insigni jactura fieri non potest. *Sensus.* Opes à diis exoptas & ut largitione tua deos tibi obstringas, jugibus sacrificiis litare tentas Mercurio, ut ex inopinato multus tibi

quæstus

quæstus obveniat. Hinc illa vota. Fortunetur domus & fœtura prospera greges & armenta mihi quotidie augeat. At vero tu qui pessimam de diis opinionem foves, dum fœdam cum diis nundinationem exerces, ut paria scilicet tecum faciant, quo quæso pacto his tuis votis annuent? cum stulta opinione inductus, opes jam partas, studio novas parandi usque adeo profundas, cum tot majores victimas cædas, ut sunt boves, tauri, juvenci & junices. Et tamen hic persuasus maxima quæque sacrificia plurimum apud deos posse, nullis parcit sumptibus, quo possit eos sibi demereri, & ridicula hac opinione sibi sic adblanditur; Jam felici ruris proventu, jam pecoris fœtura numerosa ditescam: sine mora enim opes mihi accumulabunt dii: quin tantisper errorem hunc errat, donec avitas opes consumpserit, & ad ultimum fere arcæ vel loculorum nummum pervenerit: nimirum de diis non aliter isti sentiunt quam de hominibus, humanosque illis affectus ac vitia tribuunt.

[1] Si tibi crateras argenti, incusaque pingui
Auro dona feram, sudes, & pectore lævo
Excutias guttas, lætari prætrepidum cor.
Hinc illud subiit, [2] auro sacras quod ovato
Perducis facies. nam [3] fratres inter ahenos,
Somnia pituitâ qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto, sitque illis [4] aurea barba.

1 *Si tibi crateras argenti, &c. Argumentum.* Quarta hæc sectio est, qua de donariis agitur quæ offeruntur subinde sacerdotibus & pontificibus, quorum tanta avaritia, ut errorem illum de nundinatione foverent potius quam ex cultorū animis exemptum irent.

2 *Auro ovato.* Romanis moris fuit ut ex manubiali pecunia, id est, pecunia ab hostibus capta viri triumphales dona diis pretiosissima consecrarent. Ideo autem exemplum maximæ impensæ hic ponit poeta, ut rem in majus extollat.

3 *Fratres ahenos.* In somnis curationes indicare varios deos aut Heroas credidit vetustas: etsi præcipuæ Æsculapii aut Apollinis partes illic credebantur esse à Græcis & Romanis. Postea vero gliscente superstitione, Ægyptiaca Isis, Osiris & Serapis eandem vim habere existimati sunt: nec solum isti sed etiam Ægypti filii quinquaginta, si Acroni credimus. Ægyptus autem Beli Prisci filius fuit, qui quum quinquaginta haberet filios, totidem eos fratris sui Danai filiabus matrimonio conjunxit: quæ à Danao patre instructæ prima à nuptiis nocte suum quæque maritum interfecerunt, præter unam Hypermnestram, quæ Lynceo marito suo pepercit, qui postea pulso Danao Argivorum regnum invasit. 4 *Aurea barba.* Videntur superstitiosi diis bene meritis aureas barbas apposuisse: quare iis potissimum diis à quibus plurima sperabant, aut quorum potestatem maximam putabant, auream barbam tribuebant, ut Jovi; huic Dionysius tyrannus barbam vulsisse ac detraxisse legitur.

Paraphrasis. Si argentea pocula & vasa tibi, ô pontifex avare, afferam, quæ signis aureis sint impressa, sudabis, & lachrymas præ repentino gaudio effundes. & præ immodica lætitia cor palpitabit, tanta scilicet est stultitia tua.

5 *Hinc illud subiit. Sensus.* Quia vero deos æstimamus vitiis nostris, hinc est quod argento, auro ac gemmis deos colimus, & ex manubiali pecunia dona diis pretiosissima consecramus, dum totas facies ex auro illinis, totasque adeo statuas ex auro ducis. Exempli gratia. Sunt in Apollinis Palatini porticu quinquaginta Ægypti filiorum effigies consecratæ omnes ex auro & honore pari, verum si persuasum alicui fuerit se veriorem per insomnia divinationem esse adeptum, cum his vota potius faceret quam illis: is hos quos sibi propitios credit, instituet singulari honore præ cæteris afficere, atque auro colere. Barbam igitur auream illis curabit apponi, & donaria pretiosa appendi.

1 *Aurum vasa* 2 *Numæ*, 3 *Saturniaque impulit æra*,
Vestalesque urnas, & Tuscum fictile mutat.
O 4 *curvæ in terras animæ, & cœlestium inanes!*
5 *Quid juvat, hos templis nostros immittere mores!*
Et bona Diis ex hac scelerata ducere 6 *pulpa?*
7 *Hæc sibi* 8 *corrupto casiam dissolvit olivo;*

1 *Aurum vasa Numæ, &c. Argumentum.* Cum profusione ista de qua diximus comparat frugalitatem veterum in cultu deorum.

2 *Numæ.* Numæ secundi Romanorum Regis ætate, magna fuit veterum in cultu deorum frugalitas, ut ex eo colligas, quod Numa primus apud Romanos ceremoniarum auctor instituerit, ut vasis fictilibus & urnis fictilibus aquam necessariam ad sacra Vestales gestarent: ut de Tarpeia filia notum, quæ arcem Sabinis prodidit. Cum autem vas fictile Tuscum appellat Persius, indicat pleraque ad religionem spectantia habuisse Romanos ab Etruscis. 3 *Saturniaque æra.* Æra in quibus populi Romani opes etiam publicæ erant positæ. Atque hic alludit Persius ad ærarium quod in æde Saturni erat; nam ab ære dictum fuit ærarium. Alioquin omnia antiqua dicuntur Saturnia.

Paraphrasis. Numæ Pompilii seculo summa fuit in deorum cultu frugalitas: sacra enim vasa tum testea erant, aut si ex metallo conflata, ænea solummodo. At huic frugalitati nullus jam locus: cum ex perversorum hominum opinione illud jam sequutum sit, ut contra in templis omnia auro & argento niteant, rejectis omnibus vilioris materiæ vasis quibuscunque: sic exclusa est è templis prisca simplicitas.

4 *O curvæ in terras, &c. Argumentum.* Epiphonema præcedentibus versibus subjectum, quo Persius apposite his, qui propria vitia in deum transferebant, ignorantiam dei & rerum divinarum exprobrat.

Paraphrasis. O cæcam hominum ignorantiam, quorum animæ ita defixæ sunt in res terrenas, ut ne minimum quidem supra humum se attollant: quippe quod inanes sint ejus cognitionis ac scientiæ, quæ docet quid sit Deus & quomodo colendus, quæque ab eo petenda sint. Et quidem recte hoc: supra enim docuit nihil aliud in votis esse vulgo, proceribus, viris, fœminis, imo ipsis sacerdotibus ac pontificibus; nihil, inquam, his aliud in votis esse præter opes & fortunæ ac corporis bona: quod si cælestia illis cordi essent, longe aliter deum colerent, ut ex tribus ultimis hujus satyræ versibus patebit.

5 *Quid juvat, &c. Argumentum.* Epiphonemati increpationem subjicit, stultos eos esse probans, qui frustra diis pretiosa dona offerant, qui divitiis nec capiantur, nec utantur. 6 *Pulpa.* Pulpa est caro sine ossibus, à palpitando dicta: mollis enim est ac tremula: hic pro carne accipitur & toto corpore, quod mollitie ac luxu diffluit. Plane sicut in sacris literis *caro* poni solet. *Sceleratam* autem vocat *pulpam*, id est carnem, quia per flagitia ac scelera voluptuarii solent ei gratificari.

Paraphrasis. In quem finem hoc facimus quod corruptelam morum nostrorum inferimus in res religionis? nam quia luxuria & avaritia animos nostros occupant, ideo sic erga deos nos gerimus, quasi & illi luxuriosi essent & avari. Et cur carnis judicium adeo sequimur, ut ea ducamus & existimemus diis esse grata quæ pulpæ id est carni & corruptæ hominis naturæ grata sint, cum caro prorsus scelerata sit, & in pessima quæque cæco quodam corruptæ naturæ ductu propendeat?

7 *Hæc sibi corrupto, &c. Argumentum.* Quod modo dixit frustra ad deos luxuriæ instrumenta referri, id septem sequentibus versibus tractat uberius, comparans luxuriam, quæ ab hominibus in habitu & luxu usurpatur, cum illa quæ in cultu deorum. Utranque pronunciat esse vitiosam

8 *Corrupto olivo.* Omnia unguenta fiunt mixto olivo. Nam oleum est materia apta suscipiendis odoribus servandisque. Itaque in oleum transferuntur ab unguen-

unguentariis. Unguentum autem quod conficitur è casia suavissimi odoris herba, præsertim nigra, pretiosissimum est. Rectè autem *corrupto*; quidquid enim desinit esse id quod fuit, corrumpi dicitur. Hinc illud Virgilii, *Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi*. Sic sequente versu, *vitiato murice*. Est autem murex piscis marinus, ex cujus humore fit color purpureus.

Hæc [1] Calabrum coxit vitiato murice vellus:
Hæc Baccam conchæ rasisse, & [2] stringere venas,
Ferventis massæ crudo de pulvere jussit.
Peccat & hæc, peccat; vitio tamen utitur; at vos
Dicite pontifices, in sacris quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine [3] pupæ.
[4] Quin damus id superis, de magna quod dare [5] lance
Non possit magni [6] Messalæ lippa propago?

1 *Calabrum.* Calabria regio est Italiæ, cujus præcipua urbs Tarentum, unde lana optima.

2 *Stringere venas.* Stringere est malleo tundere, ita ut eliciantur stricta, id est spintheres. Propric in solo ferro locum habet. Hinc *strictura ferri* apud Virgilium. Verum hic videtur Persius voce *stringere* esse abusus: nec enim dubitari potest, quin de auro & argento hic sentiat Persius. 3 *Pupæ.* Pupæ à virginibus consequutis pubertatem aut nupturis Veneri solitæ dicari, ut ab ephebis *bulla*, quia in omni mutatione insignia vel instrumenta vitæ anteactæ diis consecrare moris erat. Sic zonam virginalem nupturæ suspendebant Has icunculas *pupas* coroplathi è gypso conficiebant in gratiam puerorum.

Paraphrasis. Hæc scelerata caro unguentum curat conficiendum è casia admixto oleo, in quod casia ab unguentariis transfertur. Hæc lanam Tarentinam coquendo infecit liquore è conchylio muricis. Hæe jussit margaritas sibi quæri, & crudum pulverem è venis terræ sive auri vel argentifodinis in unam massam conflari. Et quanquam luxuria ea qua homines in cultu suo utuntur, vitium sit & peccatum, peccatum tamen eo minus est, quia est aliquis saltem usus hominibus earum rerum, nec in usum solummodo ea vertunt, sed & voluptatem magnam inde capiunt. At vos Pontifices dicite amabo, ecquis in rebus sacris auri & gemmarum usus? equidem nullus. Nam aurum non magis rebus deo consecratis sanctimoniam adjicit, quam icunculæ illæ quæ à virginibus nupturis Veneri donari solitæ.

4 *Quin damus id superis, &c. Argumentum.* Tertia satyræ pars est, qua paucis verbis expedit, quid super quæstione proposita sentiendum sit, & quæ sit vera & sincera ratio colendi deum. 5 *Lance.* Alludit hic ad morem libationum in patellam, quæ fiebant in mensa de iis quæ erant apposita. Simul innuit hic poeta, raro & vix, ac ne vix quidem fieri, ut mens recta & pia in magnis opibus servetur. 6 *Messalæ lippa propago, &c.* M. Valerius Corvinus Messala olim inter cæteros proscriptus, postea singulari fato Augusti amicitia floruit. Ejus filius Lippus videtur hic tangi, qui proverbio fidem fecerat, *Heroum filii noxæ*. Fortasse vero Messalæ propago lippa dicitur eo sensu quo alibi, *O cæcas hominum mentes*! quod nempe in perspiciendis rebus ad cultum divinum spectantibus filius Messalæ lippiat & tantum non cæcus sit. Fortasse etiam lippa propago significat hic vilem & degenerem filium, quo sensu alibi etiam sumitur hæc vox —— *hic dama est non tresis agaso Vappa & lippus & in tenui farragine mendax*. Quin & Messala pro quovis divite & nobili poni solet à poetis. Martialis: *Marmora Messalæ findit caprificus.*

Com-

Compositum [1] *jus fasque animi, sanctosque recessus*
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.
Hoc cedo ut admoveam templis, & [3] *farre* [2] *litabo.*

1 *Jus fasque.* Notissimum est *jus* ad officia inter homines referri: *fas* vero ad pietatem erga deum.

2 *Litabo.* Inter litare & sacrificare hoc interest, sacrificare est sacris faciendis veniam petere; at litare est sacrificio facto propitiare, & veniam impetrare. 3 *Farre.* Inter vulgatissima frumenti genera *far* fuit: veteres *adoreum* appellavere: idque in sacrificiis adhibebant, unde *far pium* dicitur. Hinc *nefarium* dicitur quod sacra polluit solita pio farre celebrari; quo sensu *nefaria sacrilegia* dicimus.

Paraphrasis. Quin id superis damus, quod nullis opibus parabile est: nempe virtutem omnibus suis numeris absolutam & animum bene comparatum ad omnia divina humanaque jura, ac mentem in cujus penitissimo recessu pietas vera radices altas egerit: pectusque non leviter virtutis colore tinctum, sed penitus imbutum generosa & bonæ spei plena honestate, quæ nihil aliud est quam constans & immutabilis virtus & superstitioni contraria. Quippe quod superstitio meticulosa semper silet in humum dejecta. Cedo hujusmodi animum qui justus sanctusque sit, hunc deo offer, sic gratum erit quod offeretur, quicquid illud tandem sit, licet minimum aut minimo minus. Si enim hunc animum afferam & offeram, vel exiguo farre deum mihi propitiabo.

Ex his discere licet quam Stoicorum philosophia (cui addictissimus Persius) Christianorum de prece doctrinæ proximet: docet enim Persius bona animi petenda esse: alia vero bona corporis & fortunæ quam præpostere petantur inibi docet. Christiani docent illa absolute petenda esse, hæc nonnisi hypothetice, addita scilicet hac lege & conditione, si dei voluntati conveniant & quatenus censet Deus ea nobis convenire.

A. PER-

A. PERSII FLACCI

SATYRA TERTIA.

Argumentum & divisio Satyræ.

In pulcherrima hac diatriba Persius Stoici Philosophi personam sustinet, docetque quam utilis seu potius quam necessaria sit Philosophia ad vitam bene instituendam, eamque beate ac tranquille agendam.

Satyræ tres sunt partes. Prima, mucronem stili sui stringit in adolescentes divites, Stoicæ Philosophiæ studia professos, sed ignavia torpentes profusosque luxu & divitiis. Secunda, Philosophiæ summam & præcipua documenta proponit. Tertia, adversus Misophilosophos, id est Philosophiæ osores & contemptores agit.

Prima ergo parte juvenes Romanos nobilitate atque opibus florentes, qua objurgat, qua hortatur, confirmatque in suscepto Philosophiæ studio, eorumque mollitiem arguit & desidiam, quod non nisi ægre & alto jam sole è stratis surgerent ac de libris cogitare inciperent: deinde quod illibenter ac segniter in studiis versarentur, eorum incogitantiam castigat. Ac quoniam quo quisque juvenum erat nobilior aut majoribus opibus innutritus, eo difficilius ad græcanicas disciplinas animum appellebat, ideo cum istis præcipue agit poeta; frustra illos aut divitiis aut gloriæ majorum suorum incumbere, si interea more vilissimi cujusque ex plebe viverent: quin horum conditionem longe meliorem esse contendit, quod liberali institutione destituti, sic in sordibus vitiorum volutarentur, ut infelicitatis suæ nullum sensum haberent: illos vero ad magna natos & institutos honeste cura parentum ac diligentia Philosophorum quibus essent traditi, nisi hac ætate proficerent, seram pœnitentiam cum magno animi cruciatu olim acturos, eo quod post agnitam sapientiæ præstantiam segnes in ejus studio atque amore se præberent.

1 *NEmpe [2] hoc assidue? [3] jam clarum mane fenestras*
Intrat, & angustas extendit lumine rimas.

1 *Nempe hoc assidue, &c. Argumentum.* Familiare est satyricis poetis ut ex abrupto ordiantur; & molles aditus ad susceptum argumentum spernant. Hic ergo abrupte inducitur philosophus, juvenes sibi in disciplinam datos

datos excitans, & post longam patientiam irascens illis, quod serius pro suo more surgerent. 2 *Nempe hoc.* Romæ magnates soliti sunt Philosophos domi alere, quorum privata cura liberi ipsorum instituebantur. Si quo alio (ut Athenas aut Rhodum) studiorum causa mittebantur, apud Philosophos fere divertebant. 3 *Jam clarum mane.* Apud Romanos ludi literarum aperiebantur prima luce.

1 *Despumare.* Transmittitur è ventriculo vinum, ubi despumarit spatio temporis tandem concoctum. Despumo proprie est spumam aufero: hic vero per translationem sumitur pro decoquere.

Stertimus, indomitum quod 1 *despumare* 2 *Falernum*
Sufficiat, 3 *quinta dum linea tangitur umbra.*
En quid agis? siccas 4 *insana canicula messes*
Jamdudum coquit, & 5 *patula pecus omne sub ulmo est,*
6 *Unus ait* 7 *comitum. verum-ne? ita-ne? ocius adsit*
Huc aliquis, nemon'? turgescit 8 *vitrea bilis:*
Finditur, Arcadiæ pecuaria rudere dicas.

2 *Falernum.* Falernus ager, Campaniæ tractus est, vitiferos colles habens vino generosissimo nobiles, quod à regionis nomine falernum appellatum est. Addit *indomitum* quia fortasse puer hic pridie plus satis biberat, adeo ut vix ac ne vix quidem vinum ingurgitatum somno concoqui possit. Obiter itaque notat discipuli intemperantiam. 3 *Quinta linea.* Ab ortu solis horas diurnas numerabant Romani: ergo quinta diei hora respondebat fere nostræ undecimæ, quo tempore instat meridies. Ad quintam autem horam negotia sua curabant Romani: quin & quinta prandere multis consuetum. Alii cum à prima ad quintam tempus omne studiis impendissent, ea hora curare corpus in cryptoporticibus aut xystis incipiebant. 4 *Insana canicula.* Cum sol cancri signum peragit, canicula oritur seu Sirius, tum vero sol coquit messes & æstu omnia adurit ac rabiem canibus immittit. Hoc vero canis sideri tribuit poeta vulgi errorem sequutus. 5 *Et patula.* Rustica hic meridiei descriptio est. Virgilius: *Nunc etiam pecudes umbras & frigora captant.*

Paraphrasis. Scilicet quotidie à nobis ita peccatur. Jam fugit optima diei pars & jam lumen extenditur, sole radios suos per fenestræ rimas transmittente. En vos Juvenes stertitis ac sobrii facitis quod ebrios deceat, quibus edormienda est crapula pridiana convivii tempestivi. Vel adeo longum tempus somno impendistis, ut vino licet duro & indomito coquendo possit sufficere. Jam enim quinta in solario linea tangitur umbra gnomonis, adeoque quinta diei hora est, & pene meridies. En quid agitis? Sol jam messes coquit & omnia passim adurit æstu eo qui rabiem canibus immittere solet, & pro more suo jam sub arborum umbraculis conquiescunt greges & armenta.

6 *Unus ait comitum, &c. Argumentum* Philosopho excitanti respondet comitum, id est discipulorum unus, atque stupet quod audit de alto jam sole, quasi tum primum nec unquam ante id ipsi contigisset, cum tamen assidue fieret. 7 *Unus ait comitum.* Hæc verba non ad præcedentia referenda sunt, sed ad sequentia; q. d. unus condiscipulorum qui Philosophum excitantem comitari solent cum in scholam itur aut reditur inde. 8 *Vitrea bilis turgescit.* Stoici definiunt iracundiam iram turgescentem, provenit enim à bile intumescente. Bilis autem revera splendet instar vitri, hinc bilis vitrea.

Paraphrasis. Magistro notanti desidiam in surgendo & mollitiem, condiscipulorum unus ita respondet. Itane vero? tantamne temporis jacturam fecimus

ſedimus in meridianum uſque tempus ſtertendo? Famulorum aliquis huc ocius adveniat. Iraſcor & quidem ira uſque adeo ſupra modum ſum percitus, ut ea pene diffindar. Cui reſpondet magiſter; verum quidem eſt quod ais ſindi te, & ira ſupra modum eſſe concitum: ſic enim clamas ut aſino rudenti ſis ſimilis: tanquam in Arcadia natus fuiſſes, quæ proceriſſimos habet aſinos.

Jam [1] liber, & bicolor poſitis [2] membrana [3] capillis,
Inque manus chartæ, nodoſaque venit arundo.
Tunc queritur, craſſus [4] calamo quod pendeat humor.
Nigra quod infuſa vaneſcat [5] ſepia lympha:
Dilutas queritur geminet quod fiſtula [6] guttas.
O [7] miſer, inque dies ultra miſer! huccine rerum
Venimus? at cur non potius, teneroque [8] palumbo
Et ſimilis regum pueris [9] pappare minutum
Poſcis? & iratus mammæ [10] lallare recuſas?

1 *Jam liber, &c. Argumentum.* Deſidiam in ſurgendo & mollitiem notavit, nunc lentitudinem in ſtudendo carpit.

2 *Membrana.* Membrana utebantur pueri in ludis, non ceris & ſtilo; quæ tamen expeditior erat ſcribendi ratio, ut notat Quintilianus. Erat autem membrana in qua ſcribebant bicolor, alba ab interiore parte: ab altera, in qua fuerant pili, crocea. 3 *Capillis.* Pumice poliebant non ſolum opercula librorum, ſed etiam membranas in quibus ſcribebant. Itaque qui membrana aut charta utebantur cum atramento, calamo & cultello, pumicem ad manum ſemper habebant. Cave confundas hanc membranam cum ea qua libros operiebant. 4 *Calamo.* Cum atramentum nihil notat calamo per membranam ducto, id accidit vel atramenti vel calami vitio: hoc, ſi parum fiſſus fuerit calamus; illud, ſi atramentum fuerit craſſius. 5 *Sepia.* Quia ſepiæ ſuccus græcis μέλαν, latinis atramentum dicitur, per metalepſin ſepiam poſuit pro atramento librario. Adde quod Afri è ſepia atramentum ſibi ſoliti ſint parare. 6 *Guttas.* Atramenti vitium duplex, ſi vel pinguius ſit juſto, vel nimis dilutum. Utrumque vitium hic tangit.

Paraphraſis. Hinc quaſi parati ſint diligentia temporis jacturam ſarcire accingunt ſe ad opus, & libros in manus ſumunt, verum mox ea prætexunt quæ ad velandam ignaviam afferri ſolent. Verbi gratia: Quod expedite ſcribere non liceat vitio calami parum fiſſi: & atramenti primo quidem plus ſatis craſſi, inde infuſa aqua nimis diluti. Atqui hæc nihili facienda, quia nugatoria omnia.

7 *O miſer inque dies, &c. Argumentum* Animi à ſtudiis averſi reprehenſio & exprobratio acris. 8 *Palumbo.* Palumbos olim ſtudioſe viri fœminæque alebant. Nota autem hanc avem Veneri ſacram fuiſſe habitam: Quare inter blanditias amantium fuit 9 *Pappare.* Πάππα Græcorum infantibus idem quod noſtris hodie, & παππάζειν apud Homerum vox infantis pro *patrem vocare.* Apud Romanos aliter. Varro de liberis educandis, cum cibum ac potionem *buas* ac *papas* dicunt, & matrem *mammam*, ac patrem *tatam*, inde *pappare* pro cibum poſcere, vel etiam pro edere. Ita hic accipit Perſius. 10 *Lallare.* Proprie lallare nutrix dicitur, quæ næniam canens puerum demulcet, ut ſomnum ei conciliet. Ergo hic lallare pro lallatione ſumitur per enallagen verbi pro nomine.

Paraphraſis. O miſerum puerum ac adoleſcentem futurum indies miſeriorem! eone deliciarum perveniſti & eone recidit ſpes, quam de te parentes ac præ-

præceptores conceperant? at si es animo ita averso à studiis, ut nugarum prætextu ea deseras, cur animi sensum dissimulas? cur amorem virtutis professus es, cum philosophiæ operam dare cœpisti? cur non potius voluptatibus quando tanti illas facis, te immergis, & virtuti palam renuncias? tum tu non in schola apud Philosophum dure & aspere educaberis: sed domi in summis deliciis, more columborum, quos puellæ magna cura educant, & more etiam puerorum regum qui ad omnem mollitiem à tenera ætate instituuntur; ac cur non poscis ut cibus probe mansus à nutrice in os inseratur tibi? aut cur non anniculos infantes imitaris, qui nimia indulgentia corrupti matri irascuntur ac dormire nolunt, cum eos sive mater sive nutrix in cunis collocatos provocat ad somnum cantillando? cur, inquam, næniam illam & lallationem recusas aut nænia illa sopiri?

An [1] *tali studeam calamo? Cui verba? quid istas*
Succinis ambages? tibi luditur: Effluis amens.
Contemnere. sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum & molle lutum es, nunc nunc properandus, & acri
Fingendus sine fine rota. [2] *Sed rure paterno*
Est tibi [3] *far modicum, purum & sine labe salinum.*
Quid metuas? [5] *cultrixque foci secura* [4] *patella est.*

1 *An tali studeam calamo, &c. Argumentum.* Alia nugatoria excusatio, aut potius eadem quæ præcessit repetita: cui prudenter respondet allegoria sumpta à vasis fictilibus, quorum vitia describendo depingit poeta juvenem corruptum. His autem verbis notat pertinaciam desidiosæ juventutis, quæ objurgata responsat, & culpam excusare mavult, quam mores mutare. Inde autem respondet sic.

Cui verba? Paraphrasis. Putas te mihi verba dare posse? ipse tibi injuriam facis, non mihi. Quorsum istas ambages succinis, vel quorsum eadem & quidem à re aliena sæpe respondes? Teipsum illudis, siquidem ad te non ad me aleæ hujus damnum spectat. Adeo voluptatibus diffluis, ut moribus admodum sis depravatis: quod si ita pergas insanire, contemptui eris bonis omnibus ob mollitiem qua fluis & liquescis. Contemnere, inquam, at fidelia quæ sono sive tinnitu ipso vitiosa deprehenditur. Est tibi quidem indoles melior cultus capax, sed nondum exculta. Et quemadmodum argilla nisi accedat figuli manus lutum manet: sic adolescentes quantumvis bonæ indolis, nisi magistris dent operam, horridis & incultis sunt moribus, ac proinde ne disciplinarum prorsus sis expers, ad eas propere fingendus es. Ætas enim provectior dura est & intractabilis. Tenera itaque ætas sine intermissione & continuata opera fingenda est, atque hoc est acri rota fingi.

2 *Sed rure paterno, &c. Argumentum.* Desidiosos & in studiis segnes hactenus carpsit: nunc aliud ulcus tangit, fastum ac fiduciam quam concipiunt liberi ex opibus & nobilitate parentum ac majorum suorum. 3 *Far modicum.* Enumerandis pauculis necessariis designatur census quo se jactat arroganter adolescens, quicum disputat Magister aut Stoicus aliquis Doctor.

4 *Patella.* Nempe religionis ergo: quia quæ in mensa apponebantur, eorum partes aliquæ in patella diis penatibus ante cœnam libabant veteres Romani, quippe quod agnoscerent deorum beneficio opes suas bonis artibus quæsitas. 5 *Cultrixque foci.* Quia delibatæ dapes in patina positæ, in focum ferebantur, atque ibi adoleri solitæ.

Paraphrasis. At respondebis præterea, adolescens, esse tibi opes partas vir

te majorum tuorum, ac proinde nihil necesse esse in literarum studia incumbere, sed pauperibus potius ea relinquenda, ut inde victum & amictum sibi comparent: Opes autem relictæ hæ sunt. Agros habes unde tibi annui redditus farris, quod tibi in victum sufficiat, ac salinum splendens & extersum refertum puro sale: quin & mundo huic victui juncta est patella religionis ergo, atque hæc patella & foci cultrix est, quia in foco asservatur & secura est, nec enim ullus est metus ne vel propter inopiam vel irreligiositatem deficiat, quod in eam conjiciatur.

1 *Hoc satis? an deceat* 2 *pulmonem rumpere ventis,*
3 *Stemmate quod* 4 *Thusco* 5 *ramum millesime ducis,*
7 *Censorem-ne tuum vel quod* 6 *trabeate salutas?*
8 *Ad populum* 9 *phaleras, ego te intus & in cute novi.*

1 *Hoc satis? Argumentum.* Ad superiora respondet jam Persius, docetque fastum hunc inanem esse, nec ob generis nobilitatem deserenda esse studia. 2 *Pulmonem.* Pulmo est spirationis & respirationis instrumentum, & spiritus illius quem anhelando ducimus receptaculum. Pulmonem autem rumpere ventis est eum ventis supra modum implere, hoc est inani & flatuosa arrogantia intumescere. *Ventos* autem hic appellat quos usitatius dicunt *spiritus*. 3 *Stemmate.* Stemmata dicebantur majorum imagines quæ in atriis magnatum ad nobilitatis ostentationem solent collocari: hinc accipiuntur nonnunquam pro ipsa stirpe seu generis nobilitate. 4 *Thusco.* Antiquissimarum Romæ familiarum pars maxima ex Hetruria venit: sic Mecænas Hetruriæ Regibus oriundus. 5 *Ramum.* Ramus hic est familiæ soboles ex stirpe deducta: vel successor in recta linea. 6 *Trabeate.* Ut supra millesime, antiptosis vocativi pro nominativo. Trabeatus autem est qui trabea indutus. Trabea vestis fuit togata purpura circumducta sub tegmine pu[...]cco, quam aureæ fibulæ annectebant. 7 *Censoremne.* Non Censoremve Quorsum enim duplex disjunctiva? duplex Romæ fuit Equitum lustratio, censio, & transvectio; illa quinquennalis fuit; hæc, annua. In Censione respondebant Equites Censori: in transvectione Censorem salutabant Equites trabeati. Censor interea præsidebat in sella curuli in foro ante Castorum ædem. Transibant autem Equites ab æde Martis extramurana per forum ante Castorum ædem, atque inde recta in Capitolium, & in transitu Censores salutabant, ut jam diximus.

Paraphrasis. Quid ais? an nescis bonorum tria esse genera; animi, corporis, fortunæ: è quibus animi bona ita excellunt, ut sola vere bona dici merentur? tune igitur adeo amens es, ut fortunæ munera ad bene beateque vivendum satis esse putes, cum tamen an in bonis censenda sint non satis inter sapientes conveniat? an sapienter facis quod propter nobilitatem generis at[...]lis spiritus, & quidem eo usque ut ventosa arrogantia tantum non rumpa[...]? Et quæso in quo tandem hæc tua nobilitas posita est? num in eo quod genere ortus adeo vetustæ nobilitatis sis, ut millesimus sis à primo illo parente in stemmate tuo collocatur? vel cone tibi places quod equestri genere [...]tus sis, & in recognitione Equitum Censorem tuum trabea indutus salu[...]

8 *Ad populum phaleras, &c. Argumentum.* A fortunæ aut corporis bonis [...]ocat Juvenem ad vera bona, animi scilicet quæ intus latent, quamque iis [...]stitutus sit evidentissime probat. 9 *Phaleras.* Equorum ornamenta [...] phaleræ, nonnunquam etiam equitum & virorum nobilium Ergo inter [orn]amenta virorum fortium cum essent phaleræ, hæc qui erant consequuti [...]m insolentius se jactarent, proverbio locum fecerunt, quo res inanes & fa[l]sæ appellantur phaleræ.

Non

Non pudet ad morem 2 *discincti vivere* 1 *Nat-*
tæ?
3 *Sed* 4 *stupet hic vitio, & fibris increvit opi-*
mum
5 *Pingue; caret culpa; nescit quid perdat & alt*
Demersus, summa rursus non bullit in unda.
6 *Magne pater divum, sævos punire tyrannos*
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Moverit ingenium, ferventi tincta veneno;
Virtutem videant, intabescantque relicta.
7 *An-ne magis Siculi gemuerunt æra juvenci?*

1 *Natta*. Nattæ proprie dicuntur qui sordidas artes exercent, ut fullones ac alii id genus homines. Postea translata hæc vox ad animum & dissolutæ atquæ inhonestæ vitæ homines.

2 *Discincti*. Zonæ usus apud veteres indicium faciebat vitæ emendatæ & sobriæ. Hinc moribus dissoluti discinct dicuntur.

Paraphrasis. Si nihil aliud habes quo glorieris præter bona externa & pha leras, abi & populo bona illa tua jactato. Ille applaudet tibi, & te mirabitur ego miserebor potius & infelicem putabo. Cur autem? quia vera felicitas i animi bonis est posita. Quo genere bonorum parum te esse instructum liquid constat mihi. Novi enim quam sis introrsum turpis, nequicquam pelle deco rus. Sed enim interea mirari satis nequeo quomodo te tui non pudeat & vit tam dissolutæ, ut pro vilissimo merito habendus sis.

3 *Sed stupet hic vitio, &c. Argumentum*. Juvenem ferocientem ob splen dorem generis & divitias Nattæ alicui similem dixit propter animi vitia supe riore versu:nunc probat in paritate vitiorum non parem esse utriusq; conditio nem: sed longe hunc quam illum esse infeliciorem. 4 *Stupet*. Stupe est sensu carere: quod iis accidit quibus ipse morbus morbi sensum adimit unde insanabilis evadit. 5 *Pingue opimum*. Id est pinguedo pingu vel crassa, quæ sensum adimit. Hoc autem morbo laborat intemperans, q ita à vitiis possidetur, ut de virtute ne cogitet quidem: contrarium fit in e quem incontinentem vocamus. Is enim ut aberrat à virtutis via, ita novit aberrare, & fortasse vices suas subinde dolet, at nihil ultra.

Paraphrasis. Quin Juvenis iste Nattâ aliquo longe infelicior est. Ratio hæ quia Natta nullum habet miseriæ suæ sensum, & quod callum ejus animo ob duxerit diuturna consuetudo, videtur sibi culpa omni carere. Juvenis ver iste sentit se malo loco esse, & ubi tandem vitiis penitus succubuerit, fer pœnitentiæ cruciatum non effugiet intolerabilem. Vel sic; sed stupor Natt animum occupavit, & opima quasi pinguedine victus obmutuit, & sic in eo ex tincta est ratio, ut de virtute ne unquam quidem cogitet, neque sciat se ma agere. Hinc fit ut sine ullo sufflamine ad voluptatum suarum fruitionem ruat & cum ita vitiis fuerit immersus, non rursus emergit.

6 *Magne pater divum, &c. Argumentum*. Huic stupori Nattæ intemperan tis verbis sequentibus opponit acerrimos cruciatus quos tolerant incontinentes qui virtutem cognitam habent, nec tamen utuntur. Deumque rogat, ut no alia pœna afficiat malos qui virtutem & honestas artes securo animo conte mnunt: quam ut virtutis pulchritudinem in aliis videant, atque illam à suis vitiis relictam cognoscentes, animi cruciatu & mœrore contabescant.

7 *Anne magis Siculi*. Phalaris Agrigentinorum in Sicilia Rex fuit crude lissimus, qui præter cætera novorum suppliciorum instrumenta taurum ha buit æreum, Perilli fabri Atheniensis arte fabricatum, in quem immissi da mnati, igneque subjecto, bovis mugitum edebant: cujus muneris nomi cum artifex non leve munus speraret, jussu tyranni in taurum conjectus pri mus artis suæ specimen præbuit.

Aut

Aut magis auratis pendens laquearibus ensis
1 *Purpureas* 1 *subter cervices terruit, Imus,*
Imus præcipites, quam si tibi dicat, & intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?
2 *Sæpe oculos memini tangebam parvus olivo*
Grandia si nollem morituri verba 3 *Catonis*
Discere, ab 4 *insano multum laudanda magistro,*
5 *Quæ pater adductis sudans audiret amicis.*

1 *Purpureas subter.* Damoclem hic respicit, qui fuit unus ex assentatoribus & aulicis Dionysii regis. Illum, cum Dionysii tyranni opes & felicitatem miraretur, invitavit rex ad cœnam, appositoque apparatu omni cum exquisitissimis epulis frui jussit, ita tamen ut supra ejus cervicem gladius seta ligatus ex laquearibus penderet. Quanto interea in metu fuerit Damocles facile fuerit cuivis conjicere.

1 *Purpureas cervices.* Damoclis scilicet, qui tricliniari veste amictus accumbebat. Principum autem vestis cœnatoria præstantissimi erat coloris, nempe purpurea, aut hyacinthina, aut talis alicujus è nobilioribus. Instar ergo regis Damocles cum accumberet muricis tyrii conchyliato indutu fuit ditatus.

Paraphrasis. Qui virtutem cognitam habent, nec tamen ea utuntur, ii tantos tolerant cruciatus, ut immanissimorum scelerum reis nullum possit majus tormentum optari pro pœna quam sint cruciatus illi. *Sensus* ergo est: O Jupiter qui Deorum pater optimus maximus es, si quando immanissimos tyrannos exquisitissimis suppliciis afficere velis, haud alia ratione eos punias quam flagello conscientiæ & metu, qui necessario inde sequitur, idque cum alias semper, tum vero maxime, cum dira libido præfervidæ crudelitatis veneno tincta eorum ingenium ad insigne aliquod flagitium aut scelus impulerit. Si cum his conscientiæ cruciatibus compares tormenta illa quos memorant de Perillo, Phalaride & Damocle historiæ, nihil plane sunt. Quid enim miserius quam cum quis virtutem à se relictam non sine suspiriis animique tortura assidua viderit? tum enim insomnia ex animi inquietudine collecta emanciatur, adeo ut subinde in hæc verba gemebundus cogatur prorumpere: per præcipitia sine ulla remora in vitia ruimus, quæ certissima tandem nostra pernicies insequetur: hanc desperationem comitatur interea pallor, cujus abditæ adeo erunt causæ, ut eas nunquam vel uxori suæ detegere sustineat, licet ea dies noctesque proxima sit.

2 *Sæpe oculos memini. Argumentum.* Argumento ab ætate sumpto excitat juvenem hunc, quem hic monet, ad studium sapientiæ. Ego cum puer essem ætati meæ, licet in inutili proposito, convenienter vivebam: tu cum jam grandior sis, quin ad philosophiam animum jam tandem serio appellis? prior argumenti pars de Persii pueritia præcedit. 3 *Catones.* Genus exercitationis fuit veterum Rhetorum, ut juberent discipulos stilo complecti verba quæ probabile est dixisse aliquem ex historia notum virum, vel cum moreretur, vel alia aliqua occasione, quæ sit item ex historia nota. Dicere ergo verba Catonis morituri, est Chriam componere hoc titulo, *Quæ fuerint verba Catonis morituri.* 4 *Insano multum laudanda magistro.* Et Grammatici & Rhetores cogebantur, vel si natura modesti essent, discipulorum compositiones laudare apud Parentes; ut præposteræ eorum cupiditati satisfacerent, & ne sine prædæ spe moriantur in scopulo, ut loquitur Petronius. Quia ergo Magister præter meritum coram patre ejusque amicis laudabat discipulum, ideo non sanum fuisse dictitat Persius, idque ex Stoicorum mente, quibus omnes insani præter unum sapientem, cui nulla potest tanta necessitas imponi, quæ à recti tramite deflectere eum cogat. 5 *Quæ pater.* Tangit Persius ambitionem patrum, qui filios suos sæpe declamare cogebant, & ad eos audiendos

dicendos cum amicis corrogatis in ludum veniebant. Ubi pater inter audiendum variis affectibus, metu, lætitia, pudore jactatus in agone quaſi ſudabat nonnunquam.

Jure etenim id ſummum, [1] quid dexter ſenio ferret
Scire, erat in votis, damnoſa canicula quantum
Raderet, anguſtæ collo non fallier [2] orcæ;
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
3 Haud tibi inexpertum 4 curvos deprendere mores,
Quæque docet ſapiens braccatis illita Medis
5 Porticus, 6 inſomnis quibus indetonſa juventus

1 *Quid dexter ſenio.* Puerilem laſciviam deſcribit ab aliquot luſionibus quæ illi ætati erant familiares. Tres autem hic enumerantur luſionum ſpecies. Prima fuit talorum uſus, quo ſpectat ſenionis & caniculæ mentio: nam ut quiſque talis jactatis ſenionem miſerat, vincebat: ſin canem, vincebatur: ideo ſenionem dextrum ferre dicit Perſius, hoc eſt utilem eſſe & lucrum conciliare: at canem radere, id eſt damno illato rem minuere. 2 *Orcæ.* Secunda luſio puerilis, cum nempe vel talos vel nuces vel id genus alia in anguſtum foramen conjiciebant. Hinc ſcribit Cornutus *orcam* vaſis eſſe genus collo anguſto, in quod nuces conjiciebantur diſtanti ex loco, & qui certo jactu mittebat, victor habebatur. Hinc ſubjicitur tertia luſio, trochus ſcilicet.

Paraphraſis. Memini cum olim puer adhuc eſſem me neglectis ſtudiis totum in eo fuiſſe, ut luſu tempus fallerem. Nec mirum; nec enim capit tenera ætas quantum damnum literarum & virtutis contemptus afferat: ac proinde jure quodammodo id faciebam. Itaque cum recitanda fuit mihi Chria vel oratiuncula aliqua juſſu Præceptoris, coram patre ſudante præ cura inter audiendum, & amicis qui eo confluxerant, ut declamationem meam audirent, quam Præceptor impenſe laudabat apud Patrem ſpe proculdubio amplioris mercedis, gravate tamen hoc oneris ſubibam. Ideoque me qua poteram ſubducebam, & lippitudinem arte accerſebam oculis oleo tactis, unde oculi perturbantur ad tempus. Hinc divertebam alacriter ad luſiones pueriles, quibus unice, cum id ætatis eſſem, capiebar, meque vel talorum jactu, vel trocho oblectabam. Unde videre eſt puerorum ingenium à labore ad otium proclive. At huic ſocordiæ & negligentiæ in ſtudiis paratum fuit ab ætate patrocinium. At tu, ô Juvenis jam adultæ ætatis; qui quæſo excuſari potes? hinc ſequitur ſecunda argumenti pars de juvene quicum Perſio jam res eſt.

3 *Haud tibi inexpertum eſt, &c. Argumentum* Ex antitheſi deſcribitur hic juvenis ætas, quæ nullam prorſus admittit excuſationem Cum enim nunc Philoſophiam Stoicam deguſtarit, (cujus primum & præcipuum caput eſt de fine) alia hæc ætas alios mores poſtulat. 4 *Curvos mores.* Id eſt, corruptos & qui ad rectæ rationis amuſſim non ſint exacti. ſic apud Senecam curva corrigere pro Cenſorem agere. 5 *Porticus.* In porticu Athenienſi docebant Stoici, quæ ποικίλη dicebatur. Hanc proconſul quidam Achaiæ (ut ait Syneſius) deturbavit, ut Stoicorum ſupercilium retunderet Hic in tabulis depicta erat pugna Athenienſium in campis Marathoniis adverſus Xerxem Perſarum & Medorum regem, qui ad debellandam Græciam venerant: Medos autem appellat braccatos, quia braccis erant induti: braccæ vero veſtes ſunt fluxæ, quibus utebantur frigidioris plagæ gentes. 6 *Inſomnis quibus, &c.* Stoicos varie hic deſcribit, primo à Stoa ſeu porticu in qua docebant. 2. A diligentia in ſtudiis quibus inſomnes invigilabant. 3. A cultu. Stoici non alebant comam, ſed ſtrictim eam tondebant: quod ſoliti facere frugi homi-

hominesque & elegantiarum incuriosi. Hinc illud *juventus detonsa*. 4. A tenuitate victus.

Invigilat, siliquis, & [1] grandi pasta polenta.
Et [2] tibi quæ Samios diduxit litera ramos,
Surgentem dextro monstravit limite callem.
Stertis adhuc? [3] laxumque caput compage soluta
Oscitat hesternum, diffutis undique malis?
Est [4] aliquid quo tendis, & in quo dirigis arcum?
An passim sequeris corvos, testaque lutoque
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?

1 *Et grandi pasta polenta.* Polenta est hordeum madefactum & siccatum, quam qui esitant, quia solus panis iis cibus est, grandi seu multo pane vescuntur, quod bonæ valetudinis signum est.

2 *Et tibi quæ Samios.* Samos insula est maris Ægæi quæ Ioniæ adjacet è regione Ephesi. In ea Pythagoras Philosophus ortum habuit. De Y litera Pythagoræ lege epigramma illud Virgilii, *Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni, &c.*

3 *Laxumque caput.* Ex omnibus vitiis nullum est, quod corpus æque corrumpat ac voluptatum usus immodicus: puta Veneris aut cibi potusque nimietas. Quare Persius dissolutum iis notis describit, quæ proprie homini temulento conveniunt: laxum caput, compago soluta, oscitare hesternum, malæ undique diffutæ, sic paulo post, laxa labra. Nervis, quibus maxime continetur humanum corpus, inimicissimum est vinum. Itaque temulentis sunt morbi nervorum, paralyses, arthritides, aliique.

Paraphrasis. Ego puer in malo proposito convenienter vivebam proposito: Tu cur nunc idem facis? namque jam non puer es, ac propterea officii ignorationem cum pueris prætexere non potes. Nosti enim virtutis pulchritudinem admirabilem, neque excusari ullo modo potes, si illam non deperieris Et philosophiæ, quam didicisti, beneficio nosti quid in vita instituenda rectum, quid minus. frequentasti scilicet Stoicorum porticum, & operam jam multam posuisti in philosophiæ studio sub Stoico magistro ejusque disciplina imbutus. Enimvero si quam à Stoicorum discipulis vivendi consuetudinem discere potueras, si, inquam, eam in exemplum traxisses in studiis perdius & pernox fuisses non sine tonsu & victu Stoico, qui sane tenuissimus est, nempe polenta aut secundus panis & siliquæ leguminum. Notum etiam tibi est bivium virtutis, quod literæ Y figura Pythagoras exprimere solitus est, non alio spectans, quam ut juventus bona malaque nosset. Etenim in duos veluti ramos divisa est ea litera, quorum dextro ardua virtutis via, sinistro vero vitiorum via designatur. Et quanquam nec Stoicam nec Pythagoricam philosophiam ignores, nihil minus tamen quam philosophice vivis, siquidem somno indulges & depravatis adeo es moribus, ut toto vitæ genere dissolutus sis. Dumque hesternam crapulam exhalas extensis maxillarum juncturis, vix ac ne vix quidem caput sustines, adeo ut nec animo nec corpore valeas ad præstanda quæ usui sunt officia.

4 *Est aliquid quo tendis, &c. Argumentum.* Boni doctoris munus præstat hic Stoicus. Discipulum ignaviæ primum accusavit & objurgavit: nunc fontem culpæ aperit & aptam morbo facit medicinam. Ex Stoicorum doctrina radix omnium officiorum totius vitæ est cognitio finis, ut & contra, peccata à finis ignoratione aut parum firma constitutione proveniunt. Hinc illud Senecæ epistola 71, *Ideo peccamus quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo.* Causam cur peccemus assignat ignorationem ultimi finis. Idem nunc & Persius docet. Finem hunc scopo assimulat; arcus & sagittæ sunt singula dicta & facta.

Paraphrasis. Atque quid mirum si dissolute vivis? quod ante omnia faciendum

dum

dum tibi fuerat, ut de summo bono decerneres & finem certum tibi proponeres, de eo necdum cogitasti. Quod si fecisses, periti sagittarii tibi imitandi fuerant, qui certum sibi scopum proponunt ad quem collineent. Ut qui sagittam vult mittere, scire debet ille quid petat, & tunc dirigere & moderari manu telum; ita ut recte vitam instituas, scire debes, quis sit humanæ vitæ finis, eoque singulæ vitæ actiones dirigendæ sunt. At nihil minus facis. Non enim peritos sagittarios imitaris, verum eos potius qui non certo aliquo consilio ad capiendas aves prodeunt: sed temere ac per lasciviam aves obvias petunt eo arrepto quod primum in manus venerit, testa videlicet aut luto. Aut eorum more vivis qui sine proposito vagantur, eo nempe ut tempus & otium fallant. aut ea agunt, non quæ destinaverunt, sed in quæ forte incurrerunt. Quod qui faciunt, sine proposito & ultimo fine, atque ut loquitur Seneca, *aliud agendo vivunt*. Atque hoc Persio est *ex tempore vivere*.

1 *Elleborum* 2 *frustra, cum jam cutis ægra* 3 *tumebit*
Poscentes videas? Venienti occurrite morbo.
Et quid opus 4 *Cratero magnos promittere montes?*
5 *Disciteque* 6 *ô miseri, & causas cognoscite* 7 *rerum,*

1 *Helleborum frustra, &c. Argumentum.* Bono ordine procedit oratio: primo vitium ostendit; postea illius scaturiginem; nunc accedit ad curationem. Sed prius hortatiunculam præmittit, ut sine mora morbo medicina fiat. Allegorice autem tractatur hæc exhortatio; nam loquitur ut de corporis medicina, sentit autem de animorum curatione. 2 *Helleborum.* Helleborus vel helleborum herba est insignem purgandi vim habens, quam Latini veratrum appellant. 3 *Tumebit.* Potes hic vel morbum intercutem intelligere, vel alium longo usu jam confirmatum. Commune enim est omnibus morbis qui foras prodeunt, ut noxio aliquo humore cutem intendant ac tumorem excitent. 4 *Cratero.* Medico. Montes auri hic intellige. Ubi obiter Satyricus stultitiam irridet eorum, qui neglecta cura valetudinis per omnem vitam, ægri postea, ubi mortis periculum admotum esset propius, nihil non medicis promittebant, quasi esset in eorum manu morari fata. Fuit autem Craterus medicus Augusti temporibus nobilissimus.

Paraphrasis. Sine mora vero huic morbo medicinam facito, ne temporis tractu morbus fiat incurabilis. Frustra enim tum medicina petetur: frustra morbo non contracto modo, sed jam inveterato medicorum genua tanges, ut loquitur Seneca.

5 *Disciteque, O miseri, &c. Argumentum.* Sequitur secunda satyræ pars qua Philosophiæ summam & præcipua documenta proponit. Ex quibus patebit unde petenda sint adversus animi morbos remedia, ex philosophia nempe, quæ magistra vitæ, morum formatrix & ad beatam vitam via tuta ac certa. Utque ad philosophiæ amorem cordatos juvenes accendat; præcipua quædam moralis Philosophiæ capita in medium affert. 6 *O miseri.* Ob ignorantiam scilicet eorum quæ ad vitam bene agendam spectant. Quod quidem vel maximum malum est. Stoicum autem est scitum præter unum sapientem reliquos omnes miseros esse atque infelices.

Paraphrasis. Ergo, ô miseri, mature discite Philosophiæ cum contemplativæ tum practicæ dogmata. Quia vero potissimum hic spectat moralem Philosophiam, ideo pluribus ejus præcipua capita attingit, quæ sigillatim hic explicamus.

7 *Rerum cognoscite causas.* Verisimile est Persium respicere hic illos Virgilii versus vere divinos, *Felix qui potuit rerum cognoscere causas; Atque metu*

metus omnes & inexorabile lethum Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari. Ubi primus versus physicam & contemplativam philosophiam spectat: reliqui duo fructum philosophiæ moralis habent Ad depellendam ergo miseriam, cui obnoxii juvenes quos hic monet & instruit Poeta, eos hortatur ut ex philosophia rerum naturalium causas habeant perspectas. Hæc enim cognitio plurimum facit ad depellendum metum & tollendam anxiam admirationem. Sequentia monita practicam philosophiam spectant, suntque decem.

[1] *Quid sumus*, [2] *aut quidnam victuri gignimur*, [3] *ordo*
Quis datus, [4] *aut metæ quam mollis flexus*, [5] *& unde;*
[6] *Quis modus argento*, [7] *quid fas optare*, [8] *quid asper*

1 I. *Quid sumus.* To esse hominis atque adeo omne per quod homo censetur, in animo & recta ratione situm est: hæc illius essentia & illius τὸ πᾶν: corpus vero & cætera omnia, pro instrumento vitæ istius habenda sunt. Estque hæc pars hominis divinæ auræ particula, ac propterea non debet homo suæ nobilitatis oblivisci. Sibi ergo pessime consulunt, qui impuris cogitationibus & actionibus sordidis partem hanc polluunt. Rursus quid est homo? respondet Seneca, imbecillum corpus & fragile, nudum, suapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum. De corporis ac naturæ fragilitate recte ista; quid dicemus si animi depravationem spectemus? hanc si intueamur, fieri non potest ut superbia ac arrogantia quis tumeat. Nunquam superbiet cui curæ hoc serio fuerit, *quid sumus*? idem jubet oraculum illud, *Nosce teipsum.* 2. II. *Aut quidnam victuri gignimur.* Id est quid in vita acturi gignimur? quia vivere agere est apud Plinium. Hic ergo quæritur de fine vitæ humanæ quo omnia (ut jam antea diximus) referenda sunt. Et sane ex Stoicorum sententia ad contemplanda & enarranda Dei opera in hunc mundum productus est homo: item ad mutuam opem. 3 III. *Ordo quis datus?* Non male interpreteris de ordine illo admirabili quo majoris minorisque mundi opifex suam illam multifariam sapientiam, potentiam, providentiam, & quid non? in rebus condendis spectandam nobis exhibuit. Vel de fato hæc capere potes, ut hic sensus sit. Disce fatorum lege omnia fieri: cui volens lubensque acquiescit sapiens spectando & approbando Dei ordinem in administratione omnium rerum.

4 IV. *Aut metæ quam mollis flexus.* Id est aut quam brevis & fluxa sit hæc vita, quamque in propinquo mors illi immineat, & quidem ex causis sexcentis. Atque hoc argumento non tam ad voluptates nos hortari debemus cum Horatio, quam ad præclara facta & vitam ex virtute agendam aut ad diligentiam in studiis honestarum disciplinarum. Ad hunc sensum pertinet & illud, *memento mortis & non peccabis.* De spatiis vitæ solet hoc loquendi genus usurpari: unde *flexus ætatis* apud Ciceronem, & apud Plinium *maturitas inflexa.* Flexus autem hic mollis dicitur, quia cito & rapide peragitur.

5 V. *Et unde.* Obscuriuscule hoc dictum, neque uno modo est interpretari. Unde mors? nempe à natura. Quia lex naturæ est, ut quidquid nascitur, & denascatur. Rursus, unde mors? persæpe vel tenuissima ex causa. Quo argumento Seneca utitur, ut adversus majora nos pericula confirmet. Natural. lib. 6 cap 2. Unguiculi (ait) nos & ne totius dolor, sed aliqua à latere ejus scissura conficit: & ego timeam terras trementes quem crassior saliva suffocat? &c. 6 VI. *Quis modus argento?* Nempe quærendo. Modus autem optimus ille qui naturæ conveniat. Natura autem facilis est & paucis contenta: hominum vero cupiditas fine caret. 7 VII. *Quid fas optare.* Vide satyram secundam. 8. VIII. *Quid asper Utile nummus habeat.*

Hoc

Hoc est, quæ utilitas sit opum. Earum autem omnis utilitas est in usu. Quare is finis legitimus est eas parandi, non ut in arcam obruantur, sed ut parti utaris. *Asper* quia signi impressio aurum vel argentum exasperat.

Utile nummus habet, [1] patriæ, charisque propinquis
Quantum elargiri deceat, [2] quem te Deus esse
Jussit, 3 & humana qua parte 4 locatus es in re,
5 Disce, neque invideas, quod multa 7 fidelia putet
In locuplete penu, defensis pinguibus 6 Umbris,
Et piper, & 8 pernæ 9 Marsi monumenta clientis,

1 IX. *Patriæ carisque.* Respicit illud Ciceronis, Non nobis solum nati sumus, sed & patriæ, parentibus ac amicis. Quantum elargiri deceat, scilicet ex officio.

2 X. *Quem te Deus.* Id est quam personam in hoc vitæ theatro tibi imposuerit Deus. Ergo & privatum & publicum munus (si quod tibi sit) specta & conditionem eam ad quam te vocavit Deus. Officia autem investiganda ex ipsis nominibus, puta ex eo quod *Pater* dicaris, ex eo autem quod *maritus*, quod *filius*, quod *civis*, & ita de cæteris nominibus. Hinc illud Epicteti in Enchiridio. Officia ut plurimum pro relationibus & qualitatibus personarum definiuntur. Pater est? tacite monetur filius ut curam ejus habeat, cedat ei in omnibus, toleret convitiantem, ferientem, &c. Huic loco non absimilis ille Horatii in arte: *Qui didicit patriæ quid debeat, & quid amicis: Quo sit amore parens, quo frater amandus & hospes: Quod sit conscripti, quod Judicis officium: quæ Partes in bellum missi ducis: ille profecto Reddere personæ scit convenientia cuique.* 3 *Et humana.* Exegesis est ejus quod præcessit, Stoici soliti sunt suos non tantum ad universæ humanæ rei, ut hic Persius, contemplationem hortari: sed etiam ad totius rerum universitatis. Quippe omne hoc unum esse, cujus pars, imo membrum homines sunt: singulas autem civitates esse quasi totidem universi domos. Quicquid ergo instituunt homines, oculi erigendi sunt ad universi considerationem, ex qua cogitatione illum fructum perciperent, ut nihil agerent quod cuiquam mortalium noceat: nihil iniquo animo ferrent, quod magnus ille mundi rector decrevisset: certi, omnia ab eo sic administrari, quomodo ad universitatis salutem expediat. Nihil porro universo mundo expedire, quod privatim singulis non sit conducibile. Fructus hujus persuasionis, quod pars simus universi, duplex est. Prior, animus æquus adversus omnes casus: posterior, amor proximi & omnes juvandi studium.

4 *Locatus.* Velut in statione positus, quam curare debemus, nec deserere nisi jussu imperatoris Dei. Prolixius his immorati sumus, quia hic compendium quasi habemus Philosophiæ Stoicæ. 5 *Disce nec invideas, &c. Argumentum.* Philosophica illa monita, de quibus supra diximus, claudit hortatiuncula, quasi diceret, multo satius est salutaria hæc præcepta discere, quam eorum exemplum sequi, qui toti sunt in congerendis opibus, quales causidici. 6 *Umbris.* Umbria regio Italiæ est inter Apenninum montem & mare Adriaticum. Umber, a, um, possessivum inde. *Pingues* autem *Umbri* dicuntur vel ab agrorum fertilitate vel abdomine. Hic synecdochice per *Umbros* intellige clientes. 7 *Fidelia.* A fideliter continendo; genus vasis est ad plurimos usus accommodati. hic vas vinarium est. Causidicis autem solitæ donari lagenæ vini & salsamenta atque ejusmodi tenuia munuscula. 8 *Pernæ.* Tam priores quam posteriores coxæ porcinæ salitæ pernæ dicuntur. 9 *Marsi.* Marsi Italiæ populi Samnitibus vicini à Marso

Circes

Circes filio orti. Marsus aper apud Horatium pro apro præpingui. Hinc perna, Marsi clientis donarium.

[1] Manaque quod prima nondum defecerit [2] orca.
[3] Heic aliquis de gente hircosa [4] Centurionum,
Dicat, Quod satis est, sapio mihi: non ego curo
Esse quod [5] Arcesilas, ærumnosique Solones,
[6] Obstipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cum secum, & rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantes somnia: [7] gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.
Hoc est, quod palles? cur quis non prandeat, hoc est?

1 *Manaque.* Mæna, æ, piscis est marinus, qui Latinis Alecula vel Alec vel Halec dicitur, ex quo salsamenta fieri solent. Accipitur autem aliquando pro ipso salsamento, quod ex mæna conficitur, in qua significatione usus est ea voce hic Persius.

2 *Orca.* Hic orca dicitur vas specie tereti ac uniformi, in quo vinum vel fici vel salsamenta aut alia id genus asservantur. De orca supra diximus, at alio sensu.

Paraphrasis. Disce, inquam, istiusmodi & decreta & præcepta philosophiæ: neque eos imiteris qui summum bonum in divitiis ponunt. Ac noli putare ea bona quæ tanta contentione quæruntur, esse vera bona. Illa igitur ne optes, neque doleas, si uberior copia horum bonorum alii sit potius quam tibi. Et quia illa Causidicorum Romæ in congerendis opibus summa est aviditas, & à Philosophia prorsus aliena, ideo ne eorum vestigia premas, nec illis invideas munuscula illa; quæ hinc inde à clientibus suis captant, qualia sunt vini fidelia aut orca mænæ aut alia ejusmodi dona, quæ contra legem Cinciam captant Patroni ab Umbris obesis illis clientibus. Horum munerum tantam copiam solent patroni accipere, ut vinum putescat, & orcas mænis refertas perdiu integras servare liceat.

3 *Hic aliquis de gente hircosa, &c. Argumentum.* Tertia hæc satyræ pars est, qua à juvenibus ad Centuriones orationem suam convertit. Hactenus enim hic Doctor ita suos discipulos ad philosophiæ studia concitavit, tanquam apud omnes constaret de illius præstantia, & ad vitam beatam necessitate: nunc memor Romæ se hæc dicere & juvenibus Romanis, quorum aures eorum vocibus quotidie personabant, qui Philosophiæ studium irridebant, & à moribus Romanis alienum dictitabant, ad istos se convertit, & ipsorum vitam omnibus vitiis obnoxiam esse probat quod philosophiam aspernentur, atque ita efficit ne quid ponderis apud discipulos suos horum voces habeant. Primum igitur unum aliquem istorum agrestium inducit, qui ad studia rei militaris non philosophiæ Romanos applicare debere se jactabant. Hic totis novem versibus eos reprehendit ac ridet, qui doctoribus sapientiæ operam navabant: deinde sequentibus duobus versibus ostenditur, hoc vulgi Romanorum & plerorumque omnium esse judicium, hanc eorum esse de philosophia sententiam.

4 *Centurionum.* Centurio qui centum peditibus præest. Centuriones hic appellat viros militares, qui cultus neglectu virorum fortium & militarium gloriam affectant. Hircosam gentem nominat, eorum illuviem notans: grandes enim plerunque alæ militaribus his viris quas hircus solet comitari. Per hircum autem hic intelligenda est alarum seu axillarum graveolentia ad hirci animalis fœtorem accedens. Neque tamen restringi hic debet vox hircosa ad hirci fœtorem, verum pro quovis alio odore tetro per synecdochen speciei pro genere accipienda est. 5 *Arcesilas.* Fuit hic ex Pitane civitate

 Æolica,

Æolica, qui relicto natali solo Athenas se contulit, ubi eximius evasit Philosophus. Ergo synecdochice hic intellige per Arcesilam vel Solonem, Philosophum magni nominis. Ut enim Arcesilas de schola fuit philosophus, ita Solon philosophus fuit de schola & legislator. Solones autem seu philosophi ærumnosi dicuntur propter indefessam in studiis diligentiam & continuas vigilias. 6 *Obstipo capite.* Accurate hic irrisor gestum exprimit hominis meditabundi. Stipare autem proprie verbum est fullonum, qui pedum mestitatione pannos condensant & firmiores efficiunt. Inde caput obstipum, cujus cervix rigida est & obstipa, & qui rigido atque immoto collo incedit.

7 *Gigni de nihilo.* Physicorum hoc axioma vulgatissimum est, quo synecdochice intellige quævis studia philosophica.

Hos populus ridet, multumque [1] *torosa juventus*
Ingeminant tremulos naso crispante cachinnos.
2 *Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus & ægris*
Faucibus exuberat gravis halitus, inspice sodes,
Qui dicit Medico, jussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,
De majore domo modicum sitiente lagena

1 *Torosa juventus.* Torus proprie est quivis funis ex loris retortis. Alias tori dicuntur eminentiæ musculorum, quales in robustioribus ac compactioribus corporibus cernuntur. Inde torosus, a, um, quod tororum amplitudine corporis robur præ se fert.

Paraphrasis. Ecce autem agrestis aliquis Centurio Philosophiæ osor fœtidus, his sannis philosophiæ studium excipiet. Ego nauci non facio transmarinam illam sapientiam, quam vos Philosophi tantopere ostentatis. Satis habeo ego cum vulgo vivere & sapere, & quidem consultius ita vivo quam si in studiis illis exoticis dies noctesque verser cum Arcesila, Solone, & aliis ejus ordinis hominibus, qui gestu suo se ridendos aliis propinant. Dum enim toti in alicujus rei contemplatione sunt, obstipo capite & defixis in terras oculis incedunt meditabundi, secum ipsi nescio quid demurmurantes & instar rabidi canis, qui nullos edat latratus usque silent, atque exporrecto ridicule labello verba nescio quæ trutinantur, quasi, & expendunt meditantes senis cujusdam & deliri philosophi insomnia vana, cujusmodi sunt philosophorum ineptientium axiomata. Exempli gratia, ex nihilo nihil fit, in nihilum nihil resolvitur. Hic scilicet est unde pallorem & maciem contrahunt philosophi ac inedia tantum non se conficiunt. Dure autem unus de hirsuta gente & turba Centurionum ita philosopho convitium facit; arridet interea ei ac assentitur populus, & sannionis illius petulantiam omnes qui adstant voce gestuque comprobant, maxime juventus militiæ dedita. Namque robusti hic juvenes ita vehementer irrident & cachinnantur, ut totum corpus concutiant, & nasum in rugas contrahant.

2 *Inspice nescio quid, &c. Argumentum.* Nunc respondet Doctor Stoicus isti Philosophiæ vituperatori. Summa hæc. Qui alieno sunt animo à sapientiæ studio, similes sunt iis qui morbo laborant & medicum respuunt: quare ut illi neglecta medici curatione intereunt; sic isti dum philosophiam, quæ animorum medicina est, aspernantur, in vitia præcipites ruunt, quæ ipsos male tandem perdunt. Protasin hujus comparationis posuit Persius: apodosin reliquit, auditori supplendam. Hinc oritur quædam obscuritas. Eo tamen facilior est comparatio, quia morbi appellatio communis est corporis animique vitiis.

Lenia loturo sibi [1] *Surrentina rogavit.*
Heus bone, tu palles. 3 *Nihil est.* 4 *videas tamen istud*
Quicquid id est: surgit tacite tibi [2] *lutea pellis.*
5 *At tu deterius palles; ne sis mihi tutor:*
Jampridem hunc sepeli, tu restas, 6 *Perge, tacebo.*

1 *Surrentina.* Picentini populi sunt ad mare Tyrrhenum. Horum oppida fuerunt Picentia & Surrentum. Hinc Surrentini colles & Surrentina vina, quæ lenia dicuntur, quia ea potui apta fecit longa dies: nam post annum demum 25 incipiebat bibi vinum Surrentinum. 2 *Lutea pellis* Lutum priore brevi pro cœno sumitur, priore longa pro herba quæ croceo colori tingendo idonea est, quam & luteam nominat Plinius. Hinc luteus, a, um. Color luteus rufi coloris species; quibusdam color est croceus. Hinc à colore *luteum ovi* dicimus pro *vitello*, qui albumine ambitur.

Paraphrasis. Audivimus jam ut philosophiæ contemptor philosophos irrisui & contemptui habuerit; jam vicissim ut paria cum eo faciamus, in ejus vitam penitius aliquanto introspiciamus. Quod ut expressius notetur, instituitur colloquium inter profligatum hunc philosophiæ osorem & medicum. Sic ergo Misophilosophus Medicum alloquitur. Inspice, quæso, Medice, ut ego me habeam. Etenim ex trepidatione & gravi anhelitu pectoris & è ventriculo ascendentibus ructibus appropinquantis febris suspicio aliqua mihi nascitur. Hinc monet eum Medicus ut in lecto aliquamdiu requiescat. Initia enim morborum quies curat. Atque adeo intra triduum melius se habet Medici consilium sequutus. Nam nocte una aut altera elapsa venarum pulsus significationem dat bonæ valetudinis. Arteriæ, seu, ut cum vulgo Medicorum loquitur Persius, venæ jam compositæ sunt & naturæ convenienter se habent. At ecce post tertiam noctem dissolutus iste ad ingenium suum & solitam intemperantiam redit, & duo peccat contra valetudinem: Balneis intempestive utitur; & inter lavandum aut ante balnea vinum bibit: ac in utroque genere intemperantiam suam prodit. Hoc ergo vult poeta: Postquam ille æger à Medico jussus est requiescere; & tertia dies eum sanum invenit, rogat famulos ut de nobili aliquo œnopolio vel è domo divitis cujusdam amici lagena modica exquisita vina illi afferantur, cum jamjamque loturus est.

Heus bone tu palles. Medici verba sunt ad ægrum, qui ejus consilium & oblatam medicinam respuit. *Sensus.* Tu, quem sanatum velim, nimis cito intemperanter te geris. Hinc ille tuus pallor & morbi intercutis jamjamque instantis prognostica. 3 *Nihil est.* Verba sunt ægri rejicientis & spernentis Medici consilium. 4 *Videas tamen istud.* Pergit Medicus fideliter monere. *Sensus.* Tu tamen, ô æger, cavesis & quicquid hoc est mali, considera mature, ne incogitantiæ & intemperantiæ tuæ meritas pœnas postea luas. Jam enim cutis tua lutei coloris paulatim intumescens indicat gravem aliquem morbum jamjamque affuturum. 5 *At tu deterius palles.* Tangit ad insolentiam depravatæ juventutis, quæ bene monentibus adeo gratiam non refert meritam, ut sæpe malum minitetur. Sic ergo respondet dissolutus. At tuus pallor philosophicus (de quo supra) meo deterior est. Ac quidem mitte objurgationes tuas, nec enim mihi tutor es. Jam pridem hunc sepelivi: quod si ita pergas, vide ne id tibi funestum & tu mihi etiam sepeliendus sis.

6 *Perge, tacebo* Respondet Stoicus: perge sane, quia nihil audis. Ego vero indicam mihimet hinc silentium, ne amplius in te monendo operam ludam.

C 4   1 *Turgi-*

1 Turgidus hic epulis, &c. Argumentum. Pœna luxuriæ ac ganeæ, morbi ac mors persæpe inde præsens.

2 Lavatus. Ritus Græcis & Romanis fuit, ut cœnati in balneum irent, persuasi utile hoc coquendæ in ventriculo cœnæ. Plutarchus multos periisse scribit tantum propter lavationem intempestivam, cum leviter ægrotantes capere cibum non sustinerent illoti.

1 *Turgidus hic epulis, atque albo ventre, 2 lavatur,*
Gutture sulfureas lente exhalante 3 Mephites.
Sed tremor inter vina subit, calidumque 4 triental
Excutit è manibus; dentes crepuere retecti.
5 Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
6 Hinc tuba, 7 candelæ: tandemque beatulus 9 alto
8 Compositus lecto, crassisque 10 lutatus amomis,

3 Mephites. Hæc mephitis, hujus mephitis. Terræ putor est, ex aquis maxime sulphuratis atque corruptis proveniens, & in nemoribus ex densitate arborum. Hic pro odore gravissimo sumitur vel graveolentia. *4 Trienial.* Est poculum trientem vel tertiam sextarii partem capiens. *5 Uncta pulmentaria.* Sic apud Plautum, pulmentum unctiusculum: apud Catonem, brassica uncta pro lauta & delicata. Est autem pulmentum vel pulmentarium puls vel cibus in modum pultis frictus. Quanquam & generalius pro quovis opsonio sumitur, ut hic fortasse.

Paraphrasis. Hic ergo pertinax & perditus adolescens turgens & saburratus epulis, recta in balneum pergit, & ventre ex ingluvie albo lavatur, gutture lente exhalante animam fœtidam, qualis est crudorum & cœnam dubiam eructantium. Ut vero videas quam noxius sit balnei usus ægris, modo intempestivus sit; Ecce inter bibendum subit nervorum vino madentium tremor, qui è bibentis manibus triental vino calido repletum excutit. Hinc exesis quasi gingivis, ob tremorem capitis & laxa labra atque adeo ob totius corporis compagem solutam dentes crepuere. Ab eadem etiam causa, excidunt lautæ illæ dapes quibus se suffarcinavit.

6 Hinc tuba, candela, &c. Argumentum. Adhuc sermo fuit de morbis & afflicta valetudine temulentorum: nunc morbum ex intemperantia natum sequitur mors: quam indicat descriptione funeris. Describit autem funus ordine inverso. Prius enim quam efferrentur humi deponebantur, lecto, ubi animam egerant, extracti. Deinde lavabantur, ungebantur, componebantur, lecto ferali aptabantur: tum autem collocati in vestibulo per aliquot dies complorabantur, næniam dicentibus amicis & præficis cum iis ad quos funus pertinebat: postremo efferebantur canente tum demum tuba. Ergo tuba ad ἐκφορὰν spectat. *7 Candela.* Mortuis & dum in vestibulo positi erant & cum efferrentur ignis aderat: iidem in conditoriis etiam suas lucernas habuerunt, ac luminibus variis soliti honorari: quos omnes ritus candelæ appellatione innuit hic Persius. *8 Compositus.* Latini componere mortuum dicebant, cum ejus cadaver probe lotum atque unctum linteis involvebant. Corollas cæteraque ornamenta etiam adiiciebant, quibus vetus superstitio mortuos suos varie adornavit. Ita compositi atque ornati lecto ferali aptabantur: quod hic poeta *componi in lecto* dixit. Sæpe autem verbo *componere* totus apparatus funebris intelligitur. *9 Alto lecto.* Humiles fuerunt lecti tenuiorum: at ditiorum lecti sublimes erant & in altum exaggerati. Idem servatum in funere. *10 Lutatus.* Luto, as, est inficio seu oblino.

Ergo

Ergo *amomis lutatus* refer ad unctionem cadaveris. *Amomis* autem dixit quia frequens fuit amomi usus in feralibus uncturis.

In [1] portam rigidos calces extendit: [2] at illum
[3] Hesterni capite induto subiere Quirites.
[4] Tange miser [5] venas, [6] & pone in pectore dextram.
[7] Nil calet hic, [8] summosque pedes attinge, manusque
Non frigent: [9] visa est si forte pecunia, sive
Candida vicini subrisit molle puella,

1 *In portam.* Porta latinis est urbis: hic vero est janua domus. Ad ostium enim domus admovebatur cadaver versis in portâ pedibus; tertio autem die plerunque mortuus ad monumentum efferebatur. Hoc autem legitimum erat spatium, tum ut declararetur verene sit aliquis mortuus, annon, tum ut posito corpori domestici & familiares lamentando lessum facerent. 2 *At illum subiere.* Hoc est, Patroni sui pheretro novi liberti subiere, ut loquitur Virgilius. Cum erant plures manumissi, partim lectum gestabant, partim ad latus procedebant vel ambiebant omnes capite induto, hoc est, pileati.

3 *Hesterni Quirites.* Ut heri atque hodie accidisse dicimus rem quæ non multo ante acciderit: sic hesternos Quirites simpliciter vocat servos libertate recens donatos. Dies autem libertatis testamento relictæ cedit non mortis tempore sed post aditam à legitimo hærede hæreditatem.

Paraphrasis. Hic philosophiæ osor & contemptor, qui in vino & aliis voluptatibus diu se volutaverit, quem tandem percipit voluptuariæ suæ vitæ fructum? nimirum morbos primum gravissimos, hinc immaturam mortem sibi intemperantia sua accersit. Inde vero extincto isto, qui, si diis placet, beatus sibi videbatur quod voluptatibus ex animi sententia indulgeret, ritus nimirum omnes ii adhibentur, qui in ditiorum funere usurpari soliti. Atque hac catastrophe vitam suam belluinam misere tandem claudit.

4 *Tange miser venas, &c. Argumentum.* Scopum superioris comparationis cum non esset assequutus perpetuus hic philosophiæ contemptor, aut dissimularet se assequutum: gnarus tamen eo sermone se peti: in philosophum ultro his verbis invehitur, falso dici se ægrotum affirmans, qui optime valeat. 5 *Venas.* Medici cum bonæ malæve valetudinis signa explorant, arteriam manus aut pericarpium tangunt, ut vulgo fieri videmus. 6 *Et pone in pectore dextram.* Manum imponunt cordi Medici, ut explorent qualis sit ejus palpitatio. 7 *Nil calet hic.* Dextre verba hæc accipe, de calore adventitio contra naturam. Quamquam Medicus arteriam tangat, non tam calor morbi indicium facit, quam pulsus qualitas: item cum cordi manum imponit, modus palpitationis: quia tamen fere conjunguntur motus contra naturam & calor immodicus aut frigus, ideo alterum pro altero posuit. 8 *Summosque pedes.* Hoc quoque ex arte Medicorum; è summarum manuum vel extremorum pedum calore aut frigore judicium de valetudine facere.

Paraphrasis. Quid? (inquit Misophilosophus) Mihine affingis, ô Stoice, morbum? erras plane: ego enim pancratice & athletice valeo. Id autem satis superque testatum facient omnia indicia ex quibus Medici judicium faciunt de prospera aut adversa valetudine.

9 *Visa est si forte pecunia, &c. Argumentum.* Respondet Philosophus, & quod supra parabolice dixit, planius nunc ostendit. Sane, inquit, corpore vales, sed ab animo pessime te habes.

1 *Cor tibi rite salit?* Positum est 2 *algente catino*
Durum olus, 3 *& populi cribro decussa farina.*
Tentemus fauces: 4 *tenero latet ulcus in ore*
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta:
5 8 *Alges, cum excussit membris tremor albus aristas:*
6 *Nunc face supposita fervescit sanguis, & ira*
Scintillant oculi; dicisque facisque, quod ipse
Non sani esse hominis, non sanus juret 7 *Orestes,*

1 *Cor tibi rite salit.* Cordis duplex est motus, naturalis; & præternaturalis sive adventitius: ille valetudinis dat indicium; hic voluntatis & affectus. Motus enim cordis, statum mentis indicat. Itaque solent præstantes Medici ex cordis motu, non solum corporis morbos, sed etiam animi perturbationes divinare. Quo spectant Persii verba, *Cor tibi rite salit.* Item, *visa est si forte pecunia, & subrisit molle puella.* Nam longe acrius præsente quam absente objecto moventur affectus. 2 *Algente catino. Algente catino* dixit, eo ipso vilitatem apparatus designans. Vide supra Sat. 1. *Calidum scis ponere sumen.*

3 *Et populi cribro.* Cribrum farinarium intellige: quo succreta farina panis fit secundarius; ut quæ cribro pollinario decussa panem facit primarium ac candidum. 4 *Tenero.* Qui plebeio pani & furfuraceo non assueverunt, teneriore palato sunt, quam ut sine ejus exulceratione tali pane vesci possint. 5 *Alges.* Cum pavet quis, calor omnis ad cor intimum se recipit; hinc horror, qui nihil aliud est quam pilorum ex contractione cutis erectio. *Aristas* autem pro pilis dixit. 6 *Nunc face supposita.* Pro, ut face supposita. Ira autem vere fervor est sanguinis. 7 *Orestes.* Hic Agamemnonis & Clytemnestræ fuit filius. Ægistus absente Agamemnone Clytemnestram constupravit, & Agamemnonem à bello Troiano reducem consciâ Clytemnestrâ occidit. In hujus stupri & paternæ cædis ultionem, matrem Clytemnestram cum Ægisto adultero occidit Orestes. Atque inde furiis tantisper agitatus fuit, dum perpetrata scelera expiasset, ad aram Tauricæ Dianæ; quo à Pylade amico suo fidissimo perductus fuit Nota hic ex Stoicorum doctrina, ut supra docuimus; quicunque non sunt sapientes pro insanis vel non sanis haberi.

Paraphrasis. At vero non potes pro sano haberi, qui avaritiæ, luxuriæ, libidini, metui atque iræ teterrimis animi morbis sis obnoxius. Et quoniam affectus sæpe latent cum deest illis occasio se exerendi, & objecto præsente movetur potentia, age in certamen te adduco ut vires tuas pericliteris. Si præsens lucrum se offerat, potesne illud ita spernere, ut ejus cupiditate non movearis? præterea si occasio se obtulerit libidinis exercendæ, potesne te virum ita præbere, ut ne commovearis quidem? insuper ad frugalitatis periculum faciendum te provoco; potesne viliore cibo esse contentus? horum sane nihil posse te experientia docet. Nam si pecuniæ & lucri spes fuerit oblata, aut si bella vicini puella molliter & amatorie tibi subrisit, nunquid tum cor tibi rite salit, id est, numnam tum animo es composito? imo ipsa cordis micatio prodit animi tui morbos, avaritiam & libidinem. Rursus si frigidi caules aut urtica, durum sane olus, aut panis furfuraceus tibi apponantur, ea fastidis: neque magis ea edis quam si os tibi esset exulceratum. Itaque betam & alia

alia id genus olera ut viliorem cibum plebi & pauperibus relinquis.

8 *Alges.* Quin & adeo oblato periculo meticulosus es, ut totus palleas & horrescas; & ne quis sit animi morbus quo non labores, si quando vel levior iræ causa se ingerat, totus in fermento es, & scintillantibus oculis quanta indignatione mens tibi sit percita prodis. Denique expende cætera dicta factaque tua, & quidem non ad stateram philosophorum, quos soles irridere tanquam nimis severos & morosos & miseram vitam agentes: sed ad judicium vel cujusvis ex plebe, quæ nihil habet cum philosophis commune; invenies ne istorum quidem calculis tolerabiles esse tuos mores. Imo, ut quod res est dicam, vel insani Orestis judicio pro non sano habendus sis. Nedum ut sit verum quod paulo ante dicebas, *Quod satis est sapio mihi.*

A. PERSII FLACCI
SATYRA QUARTA.

Argumentum & œconomia Satyræ quartæ.

Præfationis loco quatuor hic notabimus. 1. Quis scopus sit poetæ in scribenda hac satyra. 2. Quæ ejus sint partes. 3. Quis tractandi modus. 4. Unde desumpta hæc satyra.

Quod ad scopum attinet, prima Persii satyra in Neronis poeticam fuit: hæc in ejus politicam est, cujus omnino ignarus fuit. Nam adolescentulus adhuc anno ætatis suæ 17 imperii regimen susceperat. Cum eo etiam imperium regebant juvenes depravatissimi; tum in illum, tum in hos stili sui mucronem stringit hic Persius.

Partes satyræ sunt tres. Prima satyrico sale defricat Neronem, quod Rempublicam suscepisset gubernandam tanto oneri prorsus impar, quodque ejus vita libidine aliisque vitiis esset infamis. Secunda parte (quia initio imperii sui publice multa edebat laude digna, domesticis tamen vitiis turpis, hisque velamenta quæreret), pluribus disputat non posse fieri ut cujusquam vitia diu lateant: cum ita sit natura comparatum, ut in aliena peccata libenter omnes inquirant, suorum securi. Hinc postquam docuit probrosam Neronis vitam omnibus hac ratione innotuisse, 3 parte ad Neronem redit, eumque hortatur ne fucum sibi aliisque faciat, sed de vita emendanda serio cogitet, animumque à perniciosis aulicorum assentationibus avertens in pectus suum ipse descendat, ut intelligat quam imparatus sit ab illis artibus, quarum notitia respublicæ bene ac feliciter administrantur.

Tractandi modis ita se habet. Probe norat Persius cum ad satyram scribendam se accingeret, quantam & quam periculosam rem moliretur, ideo prudenter admodum argumentum hoc Platonis imitatione tractandum sibi censuit: non solum nominibus inde petitis, sed etiam sententia propemodum universa. Eodemque consilio ab omnibus abstinuit quæ Neronis personam proprie essent denotatura; quin & nonnunquam data opera aliorum etiam magistratuum vitia interserit, ut una (quod aiunt) fidelia duos dealbet parietes.

Si quæres unde desumpta hæc satyra? extant inter Platonis dialogos duo Alcibiadis nomine insigniti. Horum posteriorem imitatur Persius satyra secunda: ex priore dialogo quarta hæc satyra magnam partem expressa est: ut si quis Corycæus nomen ipsius deferret, probabili excusatione factum suum posset defendere: quasi exercendi tantum stili causa petitum è Platone hoc argumentum esset.

1 *Rem populi tractas (2 barbatum hoc crede Magistrum*
Dicere, 4 sorbitio tollit quem dira 3 cicutæ)
Quo fretus? Dic hoc magni pupille 5 Pericli.
6 7 *Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox*
Ante pilos venit, dicenda, tacendaque calles.

1 *Rem populi tractas, &c. Argumentum.* Tribus primis versibus & personas indicat quas loquentes introducit in hoc carmine, & totius argumenti summam Est autem hæc. Indignatur Persius & queritur quod Alcibiades juvenis, hoc est, imperitus rempublicam tractet. Sub Alcibiadis autem persona notat Neronem, ut infra docebimus. 2 *Barbatum magistrum.* Socratem; non solum quia barbam alebat Socrates: sed quia Romani, cum majores laudabant, soliti dicere, *casci barbati.* Fuit autem Socrates Philosophus Atheniensis, Apollinis oraculo omnium sapientissimus judicatus. Hic accusatus ab hostibus quod de diis male sentiret, in carcerem conjectus est, cumque eum Athenienses capitis damnassent & ad bibendam cicutam compulissent, ea ille intrepide & non alio vultu quam quo antea vinum bibere solebat exhausta, decessit. 3 *Cicutæ.* Cicuta herba est venenosa. Hujus famam auxerunt Athenienses succo ejus capitali supplicio damnatis necem inferentes. 4 *Sorbitio.* At teste Platone, non sorpsit cicutam, sed ebibit. Alii quidem qui parem animi constantiam non afferebant, eam non bibebant, sed sorbebant: ut aliquam temporis morulam lucrifacerent. Hic sorbitio simpliciter pro cicutæ haustu sumitur. 5 *Pericli.* Pericles Atheniensis viri clarissimi nomen, qui 40 annis in administratione reipublicæ tenuit principatum. Alcibiadem autem hic intelligit, qui cum multis fretus magnifice de se sentiret, inprimis tamen id ostentabat, quod Periclis esset pupillus. Est autem Alcibiades nomen Atheniensis imperatoris summi, qui genere & forma præcipuus, omnibus rebus aptus fuit. Idem tamen cum summis naturæ ingeniique dotibus esset ornatus, tanto rursus vitiorum agmine deformatus fuit, ut si vitia virtutibus penses, merito addubites laudene an vituperio dignior videatur. Inde vero à Socrate à voluptatibus, ad quas proclivis fuit, ad bonam disciplinam traductus fuit.

Paraphrasis. Tune, Alcibiades, Rempublicam adhuc audes capessere? crede vero non à me Persio hæc dicta, sed à barbato illo Philosopho Socrate, qui ipsius Apollinis oraculo hominum omnium sapientissimus est habitus. Revera Neronem compellat & metuens Persius ne nimia libertas ei ut aliis exitialis esset, sub Alcibiadis nomine eum designat. Ergo addit, dic Alcibiades, qui nulla adeo re gloriari soles quam tutela Periclis, qua maxime arte confidens rempublicam tractas.

6 *Scilicet ingenium, &c. Argumentum.* Hæc ex opinione ipsius Alcibiadis Socrates dicit. 7 *Scilicet.* Ironiam hæc vox indicat. Ingenium autem hoc loco liberalium artium notitia est: proprie sumptum ante pilos venit: est enim à natura. Etiam eruditio sæpe in juvenibus pilos antevertit: at pruden-

tia non potest. Colligitur enim ex longa singulorum casuum observatione, quibus hominum vita est obnoxia, diciturque prudentia civilis, atque est capessentibus rempublicam necessaria.

Paraphrasis. Quorsum autem hæc quæro? satis scilicet mihi constat quibus animi dotibus fretus rempublicam capessas: eruditione nempe & prudentia civili, qua utraque præpropere & antequam per ætatem hujus vel illius capax sis, præditus es. Quin & orator adeo insignis, eo ut quæ apud populum dicenda, quæ tacenda optime intelligas: quasi diceret; oratoriæ & politices præcepta egregie calles. Ideoque reipublicæ administrandæ aptus satis & idoneus tibi videris.

1 Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ.
Majestate 2 manus: Quid deinde loquere? 3 Quirites,
Hoc, puto, non justum est, illud male, rectius istud.
4 Scis etenim justum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ: rectum 5 discernis, ubi inter
Curva subit, vel cum fallit 6 pede regula varo:

1 *Ergo ubi, &c. Argumentum.* Hic ab uno prudentiæ membro totam denotat. Est enim prudentia habitus per quem utilia eligimus, damnosa rejicimus, cum recta ratione. Provocat vero hic Alcibiadem seu potius Neronem ad plebem ira percitam & seditione tumultuantem, ubi maturum judicium & prudentia politica apprime requiritur.

2 *Manus.* Oratorum hic mos erat & aliorum qui populum alloquebantur, ut manu porrecta audientiam facerent.

Paraphrasis. Cum ergo tantam tui fiduciam habeas, cum tumultuatur populus, ubi manu porrecta & vultus auctoritate audientiam tibi feceris, orationem gravem & disertam ad populum habes, cujus tanta efficacia, ut eâ statim seditionem componas, & quæ tandem erit ista oratio si diis placet?

3 *Quirites, &c. Argumentum.* Oratio est Neronis ad Quirites concionantis. *Quirites.* Ita appellati Romani à Curibus Sabinorum urbe. Romulus enim inito fœdere cum Tatio Sabinorum rege, ut novorum incolarum benevolentiam aliqua ratione sibi conciliaret, mistam Romanorum Sabinorumque gentem uno nomine *Quirites* appellavit.

Paraphrasis. Quirites, hoc scilicet æquum est, hoc vero iniquum: hoc relicto consultius meo judicio feceritis, si illud capessatis. Quasi diceret, si composita omni seditione ea sequamini quæ ad reipublicæ pacem fovendam faciunt.

4 *Scis etenim justum, &c. Argumentum.* Hæc & quæ sequuntur usque ad illa *Quin tu igitur* ironice accipienda: atque his versibus verum politicum describit, ut arroganti juveni ostenderet quantum ab eo abesset. 5 *Rectum discernis.* Hoc ideo, quia virtus consistit in medio duorum vitiorum: ut sæpe obscura & difficilis fit ejus agnitio. Atque hoc cum in cæteris quoque virtutibus locum habeat, tamen in justitia maxime spectari potest: cujus venatio atque investigatio magnis sæpe obsepta difficultatibus est, tum quia fallit sæpe vitium specie virtutis, tum quia juris regulæ multas admittunt exceptiones. Verbi gratia, *depositum redde*, juris est regula. Sanus apud me ensem deposuit: insanus repetit. Hic regula fallit. 6 *Pede varo.* Pes varus appellatur incurvus: itaque regula *pede varo* est regula quæ obliquari se patitur & incurvari: quod cum per se vitiosum sit, tamen aliquando merum jus est. Quare bene dictum, summum jus summa injuria. Translatio hic fortasse ab arte fabrili.

Et

Et potius [1] *nigrum vitio præfigere Theta.*
[2] *Quin tu igitur* [5] *summa nequicquam pelle decorus*
[6] *Ante diem blando* [3] *caudam jactare popello*
Desinis? [4] *Anticyras melior sorbere meracas?*
[7] *Quæ ti' summa boni est?* [8] *uncta vixisse patella*
Semper, & assiduo curata cuticula sole.

1 *Nigrum theta.* Cum recensebant laterculos militum, nominibus eorum qui perierant præfigebant Θ initialem literam vocis Θάνατος. Atque hoc erat expungere. Verum hæc etiam litera præfigebatur eorum nominibus, qui cum capitalis flagitii rei essent peracti, capite damnati sunt.

Paraphrasis. Et quidni facile tibi fuerit divina tua eloquentia flectere seditiosorum animos & in viam revocare? Quanquam enim Politica scientia admodum difficilis sit, ejus tamen notitiam tu juvenis merito tibi vindices. Quid enim æquum, quid iniquum (quæ tua sagacitas est) nullo negotio potes discernere. Quin & qui rei absolvendi, quive damnandi facile perspicis. Nota hic duas similitudines, alteram a stateris, alteram à fabri murarii aut lignarii perpendiculo.

2 *Quin tu igitur, &c. Argumentum.* Jam arroganti juveni aperte ostendit quantum absit ab ea peritia aut prudentia quæ requiritur in imperatore aut judice. 3 *Caudam jactare.* Ductum hoc à canibus qui caudæ jactatione adulari solent, aut à pavonibus, quando pictæ pandunt spectacula caudæ.

4 *Anticyras.* Anticyra insula est adjacens ad sinum Maleacum & OEtam montem. Hinc Helleborum tutissime sumitur. Unde quoties insanum hominem significare volumus *Anticyra eum egere*, aut *naviget Anticyras* proverbialiter in eum dicimus.

Paraphrasis. Quando vero hæc quæ dixi nescis, cur gubernacula tractas reipublicæ, & laudem affectas boni Principis, & speciosis actionibus venditas te ad populum, cum tamen domi & privatim insignitæ nequitiæ signa quotidie edas? sed quia & hæc Alcibiadi & Neroni conveniunt, distinctius agemus.

5 *Summa nequicquam pelle decorus.* Si sensum verborum spectes, bene hoc Neroni convenit, qui principio imperii sui ita se gessit in administratione rerum publicarum, ut vulgo eum omnes laudarent. Notum est quinquennium Neronis. Primis enim quinque imperii sui annis summa cum laude Romanum imperium gessit: inde inaudita crudelitate & vitæ turpitudine monstrum evasit humani generis. Quasi diceret, quin igitur speciosa reipublicæ administratione bonitatem simulas, cum vita tua privata omni probro ac dedecore sit inquinata? postea vero (ut jam diximus) in immania scelera ac flagitia ejus natura apertissime prorupit. Convenit etiam hoc (si verba spectes) Alcibiadi, qui forma excellebat necessaria eruditione destitutus. 6 *Ante diem blando.* De Alcibiade ita cape. Cur non mutas propositum & priusquam populi gratiam vanis artibus & populari jactatione colligere studeas, discis illa quæ nescire convictus es, cum sint Politico omnino necessaria? At de Nerone sic accipe. Cum sis tibi conscius ignorantiæ, cur non desinis venditare te apud Senatum ac populum quasi optimus Princeps esses? cum non ex scientia & virtute procedant, si quæ facis bene: sed ex simulatione & popularis auræ affectatione. Quin tu igitur desinis & differs administrationem rerum, donec sapientum præceptis serio institutus, rerum causas habeas notas, quidque differat vera virtus à simulata cognoscas: ut si quid bene nunc agis, in eo confirmeris, & melius id ipsum agas: si quid domi peccas (multa autem peccas) id corrigas, & voluptatum amorem ponas. 7 *Quæ tibi summa boni est, &c. Argumentum.* Probat id quod supra asseruit, ab ignorantia Neronis.

Paraphrasis. Adeo alienus es ab idonea cognitione Politices, ut ne prima quidem virtutis præcepta & doctrinæ moralis elementa nota habeas. Quænam autem illa sunt? finis nempe notitia: inde enim omnis recta institutio fluit. Quærit igitur Persius à juvene hoc, quænam sit boni summa, voluptatne an virtus, aut quid tandem?

8 *Uncta vixisse patella. Sensus est.* Vis Nero quod res est ego respondeam? nempe hoc fatebere, non aliud te spectare, neque alio dicta factaque tua referre, quam ut per omne genus voluptates vitam traducas. Hæc tibi summa boni: hic finis ultimus. Primo ergo tangit gulæ intemperantiam; inde libidines ac probrosam corporis curam. De corporis insolatione postea.

1 *Expecta, &c. Argumentum.* Quam indignum quod de voluptuaria vita responderat, docet hic Persius.

2 *Dinomaches.* Dinomache mater fuit Alcibiadis, ut Agrippina Neronis.

1 *Expectā; haud aliud respondeat hæc anus. I* 6 *nunc.*
2 7 *Dinomaches ego sum: suffla,* 3 *sum candidus. Esto:*
Dum ne deterius sapiat 4 *pannucia Baucis,*
Cum bene discincto 5 *cantaverit ocima vernæ.*
8 *Ut nemo in sese tentat descendere! nemo!*

3 *Sum candidus.* Erat Alcibiades præstantissima forma, mansitque ei sua pulchritudo per omnem ætatem. Quare etiam judicio Apollinis, Græcorum omnium formosissimus est habitus. Itaque ad ejus formam sua opera exigebant statuarii, cum summam pulchritudinem exprimere volebant. 4 *Pannucia Baucis.* Vetulæ pauperculæ est & pannosæ nomen apud Callimachum poetam: hic pro anu qualibet paupercula sumitur; cujusmodi sunt anus eæ quæ panem aut olera in foro vendunt, aut res similes quæ exigui sunt pretii. 5 *Cantaverit ocima vernæ.* Poetice dictum pro dicere aut ingerere servulo opprobria & ea quæ solent cantari cum ocima seruntur, hoc est, maledicta. Ut patet ex Plinio lib 19. cap. 7. Ita nempe tulit superstitio veterum. Vulgo herba hæc basilica dicitur.

Paraphrasis. Ego vero falli te aio, dum ita vitam instituis & fœdam Epicureorum sectam sequeris. Nam, oro te, hæccine Principe tanto digna vita, an abjectissimi cujusvis vita ex ima plebe? certe hujus potius quam illius. Sed nolo mihi credas, ipse consule quemcunque volueris, quamvis abjectum & vilem: atque adeo expecta, ecce venit pannosa muliercula, quæ panem, olera & id genus alia in foro divendit: ex hac, si libet, sciscitare, non aliud respondebit, quam tu mihi; vel tum cum dissolutæ alicui famulæ bene ac procaciter convitia ingesserit.

6 *I nunc, &c. Paraphrasis.* I nunc, & fortunæ bona quibus abundas ostenta. Nam quantumvis nobilis, quantumvis dives habearis, tamen pannuciæ Baucidi similior es quam vere diviti, vere nobili. Itaque colloquium Alcibiadis & Persii subjicitur. 7 *Dinomaches ego sum.* Scilicet filius. Quasi diceret, atqui ego clarissimo genere sum ortus. Respondet Persius ironice, *suffla*, id est, habes nempe quo glorieris. At (inquit Alcibiades) sum pulcher. Respondet Persius, *esto* Quasi diceret, ego tibi facile concedam ut de fortunæ bonis glorieris, de nobilitate, de pulchritudine, si ita sedet animo: dum ipse mihi concedas vicissim bonis animi, quæ vera sunt & sola bona, non magis te esse instructum, quam qui vel omnium minime. Atque hic Persius ferocem hunc juvenem dejicit infra abjectissimos. Etenim non solum aniculæ eum comparat, sed aniculæ pannuciæ, & hoc amplius aniculæ pannuciæ conviciatrici. 8 *Ut nemo, &c. Argumentum.* Hinc ad illa verba non procul à fine, *Ilia subter Cæcum vulnus habes*, est digressio quædam ab instituta insolentis juvenis increpatione. Causam præbuit huic excur-sui

sui quod dixerat, Neronem per voluptates & fœdas libidines vitam exigere, neque aliud curare. Adhuc tamen Curios simulans & Bacchanalia vivens hominibus se impositurum sperabat. Cœperat tamen in publicum spargi fama de ejus petulantia ac libidinibus. Itaque docet hic Persius unde illa acceperit quæ de Neronis gula & flagitiis modo dixerat, nempe ex publica fama se illa habere. At quorsum ista? nempe ut Neroni adimat spem latendi: persuadeatque illi unicam esse ad bonam famam munitam viam, bene vivere & nihil facere cujus te possit pœnitere, aut pudere, si vulgo præter opinionem tuam innotuerit. 8 *Ut nemo in sese tentat descendere.* In sese descendere idem est cum præcepto delphico *nosce teipsum.* Cujus præcepti difficultatem omnes sapientes agnoscunt. Quia vitia nostra in intimis animi penetralibus abdita atque infixa nos latent.

1 *Sed præcedenti spectatur mantica tergo.*
2 *Quæsieris; Nostin'* 3 *Vectidi prædia? cujus?*
Dives erat Curibus, quantum non milvus oberret;
Hunc ais? hunc, 4 *Diis iratis,* 5 *genioque sinistro.*
8 *Qui quandoque jugum pertusa ad* 6 *compita figit,*
Seriolæ veteris metuens 7 *deradere limum,*

1 *Sed præcedenti spectatur mantica tergo.* Refer hæc ad Æsopi apologum celeberrimum, quo dixit Æsopus, duas quemque manticas gestare: alteram ante pendere, alteram à tergo: in hanc sua peccata conjiciunt homines, in eam quæ oculis est exposita, aliorum malefacta. Persius & quidam alii, non duas singulis, sed unam à tergo peram tribuunt, in quam sua quisque vitia rejiciat.

Paraphrasis. At dicit fortasse Nero, unde hæc ejus vitia mihi innotescunt? Respondeo. Ex fama quam hominum curiositas dissipat. Hoc enim innatum est mortalibus vitium ut in suis vitiis cæci aliena libentissime spectent & examinent. Illius ratio hæc, quia nemo tentat in suum ipsius pectus descendere, seque ad serium sui examen revocare: sed in aliorum vitia curiose inquirere, eaque rhetorice satis verbis exaggerare: idque vult Æsopi apologus.

2 *Quæsieris, &c. Argumentum.* Duplici exemplo probat quod dixit: ostenditque adeo non solere vulgo homines de alienis vitiis tacere, ut contra nihil faciant libentius, quam ut illa & in lucem proferant & exaggerent quam maxime possint. Primum exemplum de avaro usque ad illa *at si unctus cesses.*

3 *Vectidi prædia.* Vectidium avarum quendam notat qui in Sabinorum regione prædia non pauca possidebat Curibus. Cures autem pluralis tantum numeri Sabinorum oppidum opulentissimum, unde Numa Pompilius.

4 *Diis iratis.* Quia avari homines sunt omnibus exosi. Unde diis iratis nascuntur & vivunt. 5 *Genioque sinistro.* Quia avarus ne sibi quidem amicus est, sed genium misere defraudans vitam pro pœna habet. Bene Laberius: Avaro quid mali optes, nisi ut vivat diu. De Genio diximus ad initium Satyræ 2. 6 *Compita.* Compita dicuntur loca quæ petuntur, hoc est adeuntur, per diversas vias, cujusmodi sunt trivia & quadrivia in quæ plures coëunt viæ. Spectat fortasse hic poeta Compitalia solemnem cultoribus agrorum diem. Festa autem hæc in compitis peragebantur, à Servio Tullio diis Laribus instituta. Et tangit fortasse hic Persius ritum aliquem Compitaliorum; aiunt enim quidam morem fuisse ut juga & similia agricolationis instrumenta in honorem deorum ruris ad compita suspenderentur. Sed hoc nulla firmat historia. Utut sit, clarum hic cessationem ab opere intelligi. Compita autem pertusa dicuntur, quia pervia & hinc inde patentia, vel potius multorum

rum pedibus conculcata. 7 *Deradere limum.* Picem intellige. Hae enim linebant dolia & serias. Idem apud poetam nostrum *limum deradere*, atque apud Terentium, *serias relinere*.

Paraphrasis. Si aliquem roges, nostine Vectidii prædia? & regerat ille, cujus Vectidii? non multos reperias qui eum de quo quæris notis tibi designent quæ ad ejus honorem spectent: sed inhonestis & probrosis. Itaque subjicit: de eo Vectidio quæris qui vulgo notus à censu est, qui in Sabinis agrorum vastissima latifundia possidet, quæ vix milvus aliquis circumvolet. De istone quæris? respondet percontator, de isto scilicet, qui diis iratis & sinistro genio natus est: qui si quando dies festus celebrandus sit, adeo tenax est, ut vix die festo opus intermittens, cum familia paulo liberalius epuletur, Tunc quoque aiunt illius epulas pultem esse & cepas cum pauxillo aceto. Quid igitur censes aliis diebus?

8 *Qui quandoque.* Quasi diceret, cum festum diem Compitalia nempe alii profusissime celebrant, metuit vini veteris seriolam relinere & vino inde prompto se suosque ad hilaritatem invitare. Interea cum gemitu dicit, *hoc bene sit*, id est, contenti agamus lætique hac cœnula, dum appositum habet cæpe, nec purgatum, sed pluribus membranis tanquam tunicis velatum, servis lætantibus & pro magnis lautitiis habentibus, quod pulte ex farina satiarentur. Quid autem deparcus iste bibit? acetum moriens, hoc est, jam deficiens & ipsa etiam vetustate corruptum: imo ne acetum quidem, sed aceti fœcem, istam quoque pannosam, id est, mucidam ex vetustate & diutino situ.

Ingemit, Hoc bene sit. tunicatum cum sale mordens
Cæpe, & farratam pueris plaudentibus ollam,
Pannosam fæcem morientis sorbet aceti.
1 *At si unctus cesses, & figas in cute Solem,*
Est prope te ignotus cubito qui tangat, 3 *& acre*
Despuat in mores; penemque 2 5 *arcanaque lumbi*
4 *Runcantem, populo marcentes pandere vulvas.*

1 *At si unctus cesses, &c. Argumentum.* Alterum exemplum rumoris dissipati de luxurioso, ubi mollities Neronis ac luxus perstringitur, sed dissimulanter & tanquam de alio loquendo, non de Nerone, ad quem est sermo. *At si unctus.* Antiqui ungebant se, & in sole erant, ut oleum corpus inbiberet tantisper dum sole siccaretur; atque hoc est *figere in cute solem*, id est, exhibere cutem ad solem cum diuturniore mora.

Paraphrasis. At si unguentis corpus perfusum ad solem sicces & mollius cutem curare institueris, ut qui pumice aut vulsellis corpus sibi totum leve reddunt, si turpiter vivas, reperietur aliquis de quo minime cogitabis; qui tacitus convitium tibi faciat, & exosus mollitiem tuam te differat, quique non sine morum tuorum detestatione impudicum te esse dicat.

2 *Arcanaque lumbi, &c. Argumentum.* Duo probra objicit; 1. quod quæ sunt circa partes tegendas vulsa & levigata habeat. 2. Quod comam impensius curet, unguentis etiam delibutum. Ut melius hæc intelligantur expendamus quædam verba. 3 *Et acre Despuat in mores.* Id est sputo castiget vel sputo testetur tui & tuorum morum contemptum. 4 *Runcantem.* Runco, as, est herbas inutiles evello aut extirpo. Runcare segetem est herbis noxiis expurgare. 5 *Arcana lumbi.* Pudenda vel nates. Significat evulsionem pilorum inde, ut partes illæ obscœnæ levigentur.

Tu cum 3 *maxillis* 2 *balanatum* 1 *gausape pectas,*
Inguinibus quare detonsus gurgulio extat?
4 *Quinque* 5 *palestritæ licet hac* 6 *plantaria vellant,*
Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen 7 *ista filix ullo mansuescit aratro.*
8 *Cadimus, inque vicem præbemus crura sagittis.*
Vivitur hoc pacto: 9 *sic novimus. Ilia subter*
Cæcum 10 *vulnus habet.* 11 *Sed lato baltheus auro*
Protegit. 12 *ut mavis, da verba, &* 13 *decipe nervos,*

1 *Gausape.* Est nomen indeclinabile. Quanquam apud antiquos invenitur gausape, is, & gausapa, æ, & gausapum, i Estque proprie genus vestis crassæ & villis hirtæ. Hic capitis comam significat mollem instar lanæ.

2 *Balanatum.* Balanus, unguenti genus. Horat. *pressa tuis balanus capillis*; hinc balanatus, a, um, hoc est unguento perfusus. 3 *Maxillis:* Id est pectine osseo, vel è maxillis; Metonymia materiæ. 4 *Quinque palestritæ.* Id est quamvis multam operam sumas ut naturæ, quæ te virum nasci voluit, illudas, omni ratione nequissime te effœminans; semper tamen impressa tibi à natura viri signa manebunt: neque unquam perfecta eris fœmina, sed horrendus & portenti similis androgynus. 5 *Palestritæ.* Palestra, lucta vel concertatio. Qui in ea se exercet palestrita dicitur. Hic pro robusto sumitur. 6 *Plantaria.* Crines quos versu sequenti *filicem* appellat allegorice. 7 *Ista filix.* Filix aratro mansuescit, id est penitus extirpata finit se vinci: at ista filix quam intelligit, etiam evulsa renascitur. *Omnino satius erat verecundiam silentio vindicare, quam sermonis, etsi figuris obscurati, licentia castas aures offendere. Ita paraphrasin præterimus, ut pie & modeste parcamus honestis auribus.* 8 *Cadimus, &c. Argumentum.* Concludit digressionem duplici exemplo illustratam, & ad Neronem redit ac ingenii humani curiositatem seu potius perversitatem per occasionem depingit.

Paraphrasis. Hujusmodi alii aliorum probra publicamus. Quid faceres? nam si speres te hoc vitium hominum posse emendare, vel auctoritate tua impedire, ne de te loquantur libere; frustra sis. Quæ sunt enim hominibus adeo cognata vitia, corrigi nequeunt. Est enim hic linguæ morbus epidemicus, atque hoc pacto passim quoquo te vertas vivitur. Alios culpamus & ab aliis invicem culpamur. Estque allegoria à sagittariis, qui aliena crura sagittis feriunt, suaque ferienda aliis præbent: & verba illa respicit, de quibus supra, *& præcedenti spectatur mantica tergo.*

9 *Sic novimus. Sensus.* Hac igitur ratione interiorem tuam vitam cognovimus: & flagitia tua, quæ jam in publicum erumpere incipiunt, etsi diu à te dissimulata, habemus nota. 10 *Vulnus cæcum subter ilia.* Appellat libidinem & flagitia clam solita à Nerone committi. 11 *Sed lato balteus auro. Sensus.* Sed flagitia quæ patrantur à te quotidie propter potentiam tuam abscondere te posse confidis, nemine audente vel in ea inquirere vel de iis loqui. Nota vitiorum duo esse magna tegumenta, potentiam & divitias. Harum rerum symbolum hic est *balteus lato auro*, id est aureis bullis munitus. 12 *Ut mavis, &c. Argumentum.* Non sine causa hæc pars addita à Persio: ut ab alienis assentationibus ad suam ipsius conscientiam Neronem revocaret. 13 *Decipe nervos.* Translatum hoc ab iis, qui nervorum infirmitate laborantes, & morbis articularibus obnoxii, sanos tamen esse se fingunt, quo liberius & Baccho & Veneri serviant.

Paraphrasis. Dialogismus hic est Persii & Neronis. P. Esto si ita vis. Tu, qui animo periculosissime ægrotas, pro sano te jacta & vendita: corruptissimis

mis tamen moribus es: vivisque turpissime & flagitiosissime. I nunc, & temperantiæ ac modestiæ laudem affecta. *Vel*, ut voles tibi impone tu, & præ te feras nullo te animi morbo laborare, si modo id poteris: atqui non poteris: & dum aliis te verba dare putabis, dabis tibi, tandemque hujus stultitiæ meritas pœnas lues. Hinc respondet Nero, At cum ministri qui circa me versantur, me tanquam egregium imperatorem palam & quotidie laudent, nonne quæso fidem illis adhibebo? Respondet Persius sex ultimis versibus; quos priusquam paraphrasi illustremus, observabimus quid *puteal*, ut elucidetur versus *Si puteal multa cautus vibice flagellas.* Quid autem sit *puteal*, inter primi nominis Grammaticos non convenit. Alii enim aliter sentiunt. Quicquid autem sit, constat ex Horatio locum fuisse juri dicundo destinatum. Hor. 2 serm. sat. 6. —— *ante secundam Roscius orabat, sibi adesses ad puteal cras.* Ergo flagellare puteal est frequenter adire forum, & in turba forensi assidue versari. Flagellare enim est arctare, premere & contundere. Sed addit Persius multa vibice, ubi glossæ veteres, vibices interpretantur acres fœneratorum exactiones, quæ debitoribus tanquam vibices. Vel si mavis, per vibices Judicum perjuria intellige. Judices enim ad aram Libonis jurabant se nihil à cliente accepisse, neque accepta pecunia fuisse corruptos. At dices, non videtur hoc Neroni, in quem invehitur hic poeta, convenire. Fuit enim imperator longe supra Judicum ordinem & consessum. Respondeo hac satyra non solum Neronem taxat, sed & inferiores magistratus obiter. Ne facile omnes intelligant Neronem esse adversus quem hæc satyra scripta sit. Atque inde de industria ab hypothesi ad thesin subinde refert se Persius.

Paraphrasis. Quid aliorum allegas testimonia? quin tu teipse exploras, & tuam ipsius conscientiam interrogas? hoc si facias, scias nullo negotio, quantum te assentatores & parasiti fallant. Verbi gratia, Prædicabant illi te ut liberalem, at si te ipse consulas innatam tibi avaritiam deprehendes. Hoc Neroni non convenit quod sciam: fuit enim profusissimus & damnosissimus omnium Nepotum. Sed, ut dixi, non solum Neronem hic taxari, sed & inferiores magistratus, vel hinc manifestissime apparet.

Si potes. Egregium cum me vicinia dicat,
Non credam? viso si palles, improbe, nummo,
1 Si facis, in penem quicquid tibi venit amarum,
Si puteal multa cautus vibice flagellas;
Nequicquam populo bibulas donaveris aures.
2 Respue, quod non es; tollat sua munera cerdo;
Tecum habita; & noris, quam sit tibi curta supellex.

1 *Si facis in penem quicquid tibi venit amarum. Sensus.* Si nullum est tam fœdum, tam obscœnum libidinis genus, quo te quotidie non inquines: & si tu qui cautus es & litium callentissimus simplices homines bonis exuis, dum per calumnias & perjuria superior è judiciis discedis; si, inquam, talia facis, nequicquam fidem adhibeas assentatoribus, eorumque laudes excipias avida & bibula aure, siquidem earum sitientissimus es. Quin potius audi quid deinceps dicturus sim. 2 *Respue quod non es.* Hoc est, rejice laudationes à fortunæ bonis aut etiam corporis: non enim id es tu, neque tuæ sunt illæ laudes. *Vel*, Rejice laudes quas præter rei veritatem in te assentatores certatim conferunt lucri gratia, qui propterea Cerdonis vocabulum merentur. Tollat cerdo laudes has immeritas assentatorum munera, & *tecum habita*, id est te nosce, &, ut loquitur Juvenalis, *te consule.* Dic tibi ipse quis sis, ac nosce quam sis præsidiis necessariis ad vitam bene agendam & administrandam rempublicam destitutus. *vel*, in te descende, sic enim illico perspicies quam exigua tibi sit virtutum supellex, vel potius quot quantisque vitiis fœdatus sit tibi animus.

A. PERSII FLACCI

SATYRA QUINTA.

Argumentum Satyræ quintæ.

Ad Annæum Cornutum Persii Præceptorem dirigitur hæc satyra. Hic Annæus Cornutus Stoicus fuit Philosophus, quem à Nerone propter liberiorem de ejus carminibus vocem multatum exilio refert Dio. Fuisse vero non solum philosophiæ cognitione clarum, sed & aliis studiis historia arguit, quam Dio narrat de adhibito illo à Nerone in consilium super instituto carmine de rebus gestis Romanorum. Nam Neronem ab omni philosophia fuisse alienum constat: neque vero causæ quicquam erat, cur de pangendis versibus Stoicus consuleretur, nisi etiam eruditionis laude & disciplinis humanioribus excultus fuisset Cornutus. Excelluit itaque in utroque eruditionis genere, sed de isto satis.

Satyra hac tractare instituit Persius *Omnes præter Sapientem servos esse, neminem liberum.* Vulgi ergo mentem, ignorantis quæ vera libertas sit, errore liberat hæc satyra. Cujus duæ sunt partes. Priore præsternit sibi poeta viam ad Paradoxi tractationem: posteriore paradoxon tractatur. Prior ergo Satyræ pars proœmium est, cujus tres sunt particulæ. 1. Amoris sui vel potius pietatis vehementiam erga Cornutum Præceptorem bene meritum prolixe aperit, hujusque amoris rationes reddit & explicat. 2. Laudes Cornuti & totius vitæ illius institutum & tenorem subtexit. 3. Juventutem hortatur, ut tanto viro in disciplinam se dedat. Ita fit transitus ad posteriorem satyræ partem ad verba *Libertate opus est*, &c. ubi fuse tractatur paradoxon, de quo supra diximus. Hujus secundæ partis tres rursus particulæ sunt. 1. De vera libertate agitur. 2. De servitute qua gravantur avari, luxuriosi, superstitiosi. 3. Tota hæc disputatio tandem clauditur. Certe Satyra hæc non magis numero versuum, quam nitore & elegantia cæteras vincit.

Vati-

1 VAtibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum;
2 Fabula seu mœsto ponatur 3 hianda Tragœdo,
4 Vulnera seu Parthi 5 ducentis ab inguine ferrum.
6 Quorsum hæc? aut quantas robusti carminis 7 offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
Grande locuturi, 8 nebulas 9 Helicone legunto,
10 Si quibus aut Prognes, aut si quibus olla 11 Thyestæ

1 *Vatibus hic mos est, &c. Argumentum.* Efficacissima ratio est declarandæ magnitudinis alicujus rei, cum non posse eam à nobis declarari ingenue fatemur. Quem morem Homerus, Virgilius & alii passim sequuti sunt adeo familiariter, ut tanquam communem Poetarum morem notet hic Persius: qui eodem Poetarum more usus, ad declarandam ingentem vim sui in Cornutum amoris, his verbis prius cavendum putavit, ne existimaretur eodem cum cæteris poetis animo, hoc est, summis tantum labris hoc dicere. 2 *Fabula seu mœsto.* Poetæ qui ex historia fabulari tragœdias componebant, eas histrionibus postea tradebant acturis illas in scena. Utrique non veros affectus edebant, sed simulatos.

3 *Hianda.* Hiare est cum vehementia tragico argumento conveniente pronuntiare: quod diligentissime præstabatur à tragœdiarum actoribus.

4 *Vulnera seu Parthi.* Multi ut Neronem laudarent & alios Proceres Romanos, Parthica scribebant, & res Romanas assentatorie in majus extollebant. Per Parthica autem intellige bella cum Parthis gesta sub Nerone, de quibus accurate Tacitus. 5 *Ducentis ab inguine.* Jaculandi modus apud varias gentes varius, à mamma, ab auricula dextra, ab humero. Adde alium modum ab inguine, quem morem Parthis hic tribuit Persius.

Paraphrasis. Scio solere poetas etiam in rebus nihili (ut cum veterum aniles fabulas tractant) aut certe non adeo magnis (ut cum Parthica scribunt adulantes Neroni) de infantia sua queri, quasi argumenti magnitudine victi obruantur; & centum voces ac linguas sibi optare: ego vero de te scripturus, Cornute, centum voces totidemque linguas, recepto poetarum more, exopto: sed non quomodo illi: verum ingenue & plane ex meo sensu: ut qui imparem me sentiam exprimendis in me tuis summis meritis & amori nostro mutuo; qui ingens adeo ut illi par nullum à me proficisci possit carmen.

6 *Quorsum hæc, &c. Argumentum.* Fingit Persius adfuisse sibi Cornutum satyram hanc scribere incipienti. Ille igitur Magistri jure utitur & discipulum qui videbatur moderati stili modum velle excedere in ordinem cogit modesta hac reprehensione. 7 *Offas.* Bonorum poetarum carmina commendantur à subtilitate facta translatione ab operibus Minervæ: hinc Juvenali carmina elaborata dicuntur *tenui deducta poemata filo.* Contra cum aliena vituperabant aut sua extenuabant *crasso filo* composita dicebantur. Ab eadem mente etsi diversa translatione Persius malum poetam & tumidum ait *offas carminis ingerere*, quod contrarium est *τῷ* deducere. Verbum translatum è pistorum vel coquorum operibus. *Offas carminis robusti*, carmen non deductum sed ampullatum, turgidum atque inelaboratum. De offa vide Plin. lib. 10. c. 8. Offæ etiam vocantur illi globuli quibus aves altiles farciuntur. 8 *Nebulas.* Devia & quæ sola specie sunt magna nebulas Græcorum exemplo appellamus. 9 *Helicone.* Vide ad illud —— *Heliconidasque pallidamque Pirenen.* 10 *Si quibus aut Procnes.* Progne vel Procne Pandionis Atheniensium Regis filia fuit & soror Philomelæ, quæ Tereo Thracum Regi nuptæ

matrimonio juncta fuit, ex qua filium Itym suscepit. Hæc quum desiderio videndæ sororis teneretur exoravit virum ut Athenas profectus Philomelam ad se duceret. Qui mandata peragens, adventum Philomelæ à Pandione impetravit. Verum quum in itinere essent, in libidinem mulieris exardens, quamvis repugnantem compressit: & ne facti obscænitatem exprimere posset, linguam ei abscidit & servo in vinculis custodiendam tradidit. Reversusque ad uxorem maris nausea periisse simulat. Philomela interim tædio carceris affecta, rem omnem uti gesta fuit, acu in tenuissima tela depinxit: hanc ancillæ Prognes clam deferendam tradidit. Progne re intellecta, ac dissimulato ad tempus dolore, postquam Orgiorum dies advenit, thyrsis & pellibus pro more instructa sororem e carcere eripit, eodemque indutam habitu ad regiam inducit, ibique furiis exagitata, arreptum Itym filium interfecit, viroque domo redeunti epulandum apponit. Qui tandem re cognita ex pueri capite, quod Progne sub finem cœnæ per sororem afferendum curavit, dum fugientem sororem furibundus persequitur, mutatam deorum commiseratione in hirundinem vidit, ipse autem in upupam; Itys in Phasianum, Philomela in avem sui nominis conversa est. Vid. Ovid. Metam. lib. 6. 11 *Thyesta.* Thyestes filius fuit Pelopis ex Hippodamia: & Atrei frater ac Tantali nepos, qui cum fratri, cui pessime cupiebat, aliter nocere non posset, uxorem ejus per adulterium polluit, Atreus vero ei filium epulandum apposuit. Ob quæ flagitia Sol, ne pollueretur, retro fugisse fertur. Hæ duæ fabulæ materiem præbuerunt duabus tragœdiis.

Fervebit, 2 sæpe insulso cœnanda 1 Glyconi.
3 Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos: nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum grave 4 cornicaris inepte:
Nec 5 stloppo tumidas intendis rumpere buccas.

1 *Glyconi.* Glyco tragœdi alicujus insulsi nomen. Cœnare autem hic est fabulam agere cupiditate cœnæ sive mercedis, unde se ipse alat.

2 *Sæpe.* Hinc discimus fabulas quæ semel populo placuerant, sæpius populo reponi solitas.

Paraphrasis. Respondet Cornutus Persio. Quorsum vero ista? anne paras in publicum proferre ampullatum aliquod aut turgidum poema, idque lectori tuo objicere? alioqui quorsum ista centuplicis vocis optatio? anne & tu cum aliis tragœdiam aliquam aut epos exsufflare vis? grandia hujusmodi & sublimia opera illis relinque, qui tragœdias componunt vel de Tereo qui filium Itym sibi appositum imprudens edit: vel de Atreo, qui similibus epulis Thyestem fratrem pavit. Quæ tragœdiæ sæpius fortasse in theatro agendæ ab insulso illo & absonæ vocis Tragœdo Glycone, ut hac ratione victum & cœnam sibi quæritet.

3 *Tu neque anhelanti, &c. Argumentum.* Solent Præceptores discipulos melioris indolis laudando magis quam objurgando in officio continere. Laudat itaque Persium Cornutus negative & positive; negative, separando eum à malis poetis, & vitia commemorans quibus careat; positive. virtutes recensens quibus ornatus sit. Tria autem sunt malorum poetarum vitia. Primum in elocutione: ut, dum ferri massa in camino coquitur à fabris ferrariis, ventus seu anima folles inflat; ita inflant mali poetæ stylum verbis tumidis & sesquipedalibus. 2. in inventione, dum more cornicis soli incedunt & meditabundi quasi in seria aliqua cogitatione & meditatione sint defixi. Qui enim illo erant animo, solebant soli in publico conspici, vultu tristi & secum aliquid murmurantes. 3 in pronuntiatione. Ea meditantur insulsi poetæ, quæ tumida pronuntiatione nec sine hiatu pronuntianda sint. hæc tria vitia removet Cornutus à Persio, ut patebit in paraphrasi & textu. 4 *Cornicaris.*

caris. Cornicari hic est ambulare more cornicis. 5 *Stloppo.* Non scloppo. Est autem stloppus vox eleganter ficta ad sonum illum exprimendum, quem buccæ inflatæ & ictu collisæ edunt.

Paraphrasis. Non tu famam captas singularis cujusdam contentionis & assiduitatis in studiis: quod ab iis fieri solet qui vanitate & ambitione ad scribendum impelluntur. Maxime vero ab his qui in scribendis tragœdiis toti sunt. De vitiis autem quæ hic carpuntur, fuse satis in argumento.

1 *Verba toga sequeris, 5 junctura callidus acri*
6 *Ore teris modico, 7 pallentes radere mores*
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.
8 *Hinc trahe quæ dicas; 9 mensasque relinque*
2 *Mycenis*
3 *Cum capite, & pedibus, 4 plebeiaque prandia noris.*

1 *Verba toga sequeris, &c. Argumentum.* Sequitur laudatio positiva, ubi quadruplex Persii laus occurrit. 2 *Mycenis.* Mycenæ, arum, vel Mycena, æ, urbs Peloponnesi non procul ab Argis, ubi regnavit Agamemnon Atrei filius. Hic ergo designatur illa Tragœdiæ materia de qua supra in voce *Thyestæ.* 3 *Cum capite & pedibus.* Nempe filii Thyestæ quæ Atreus patri apposuit. 4 *Plebeiaque prandia noris.* Id est mores populi, qui proprie argumentum sunt satyræ.

Paraphrasis. Tu vero, ô Persi, eas orationis virtutes sequeris quæ satyræ scribendæ conveniunt. Prima autem virtus est recta verborum electio. Tu, inquit, sequeris *verba toga*, id est, verba quibus utuntur togati Oratores in foro. Quasi diceret, Tu uteris verbis in communi usu positis, non ex ultima antiquitate repetitis, ut quidam inepti faciebant, quibus nulla placent verba nisi ampullata & sesquipedalia.

5 *Junctura callidus acri.* 2 est virtus. Verborum electionem proxime sequitur eorundem compositio recta, nempe virilis & nervosa: quam hic *acrem* appellet Poeta. Quæ virtus media est inter duo compositionis vitia. Alterum est eorum qui studio exasperandæ orationis peccant de industria. Sunt enim quidam (teste Seneca epist. 114.) qui nolunt sine salebra esse juncturam; virilem eam putant & fortem quæ aurem inæqualitate percutiat: alterum vero vitium eorum est, quorum compositio erat modulatio, ut ibidem scribit Seneca. 6 *Ore teres modico.* 3 laus ab elocutione concinna neque humili neque inflata. Quid sit teres oratio declarat Cicero 3 de Oratore hoc modo; Sed si habitum etiam orationis & quasi colorem aliquem requiris, est plena quædam & tamen teres ac tenuis, ac non sine nervis & viribus. Atque hoc Horatio est *ore rotundo loqui.* 7 *Pallentes radere mores Doctus.* 4 laus à genere scriptionis. Cornutus Persium docuerat Ethica, unde didicit sancte vivere: quin & depravatos aliorum mores objurgare & satyrico sale defricare. Nota hic duo satyræ propria; prius est radere mores pallentes, id est, reprehendere mores neutiquam sanos, vel corruptos. Metaphora est à morbidis qui pallent: Quibus morbidus est animus, his mores pallent: altera satyræ proprietas est ridendo dicere verum, hinc addit *& ingenuo culpam defigere ludo*, id est hominum vitia salibus & acrioribus jocis ceu colaphis petere. Sic in Persa Plautus, Te hodie defigam in terram colaphis. Nota ingenuum ludum illiberali atque obscœno hic opponi. 8 *Hinc trahe quæ dicas.* Id est, fac ut quæ dices scribesve, ab eadem mente orta se probent, ex qua priora tua scripta: eandem stili temperiem serva: idem argumentum urge, & perge satyras scribere. 9 *Mensasque relinque Mycenis.* Id est, omitte & argumenta tragica & omnem orationis vanum tumorem, ac satyras scribe; idque unum age. His ergo confirmat Cornutus Persium in proposito studiorum.

Verba

Verba toga sequeris, &c. Paraphrasis brevior. Tu verba in communi usu posita sequeris, non ex ultima antiquitate repetita: utque recte verba eligis, ita ob virilem & nervosam compositionem laudandus es: quin & tota elocutio tibi concinna est & rotunda neque humilis neque inflata. Et, si modo naturæ atque educationis tuæ ductum sequaris, ad satyras scribendas idoneus maxime videris, quibus hominum mores corrupti & vitia non sine ingenuis salibus perstringuntur. Tale argumentum, si me audies, delige, & tragœdias aliis relinque. Cum populo tibi res sit, & populi vitia redargue. Tragica & subliniora illa argumenta de regum immani crudelitate alii tractent. Sic moneo ut amicus; sic ut Præceptor jubeo.

1 Non equidem hoc studeo, 2 bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea 3 fumo.
4 Secreti loquimur: tibi nunc hortante Camœna
Excutienda damus præcordia; quantaque nostræ
Pars tua sit, Cornute, animæ, tibi, dulcis amice,
Ostendisse juvat: pulsa, dignoscere cautus,
Quid solitum crepet, & pictæ 5 tectoria linguæ.
Hic ego centenas ausim deposcere voces,
Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura: totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.

1 *Non equidem hoc studeo, &c. Argumentum.* Redi ad verba illa *Quorsum hæc*; ibi Cornutus Persio; Quorsum hæc de centuplicis vocis optatione poetica? anne & tu tragœdiam aut epos exsufflare vis? respondet aliquam multis versibus interjectis Persius, *Non equidem hoc studeo.* Quasi diceret, Ego centum voces mihi optem, non ut tragœdias aut epica exsudem, sed ut tibi, Cornute, aperiam mei in te amoris magnitudinem.

2 *Bullatis.* Bulla symbolum vanitatis. Hinc *homo bulla* apud Varronem. Ergo bullatæ nugæ argumenta sunt inania & materie & scribendi genere.

3 *Fumo.* Græci Latinique levia vocant fumum. Loquutio hæc, ut pleræque aliæ alibi apud hunc poetam, ab Horatio est. 4 *Secreti loquimur.* Amici cum de rebus suis libere confabulari volunt, secretum petunt.

5 *Tectoria.* Quod parieti tectorium, hoc linguæ fallax & ementita oratio. Translatio ergo hæc à parietum incrustationibus, qua significatur fucus & simulatio.

Paraphrasis. Sane justa mihi causa est talis voti faciendi, quale supra cœperam facere: res enim magna est quam velim, si possem eloqui: non leve aliquid aut nugatorium, ut fere sunt illa, quæ tumide adeo vulgo poetæ soliti sunt tractare. *Vel*, Non equidem hoc studeo ut pagina mihi repleatur inanibus nugis, quarum pondus non majus sit quam fumi pondus. Quin adeo cupiditate gloriæ ad hæc scribenda non impellor, sicut alii, ut te unum spectem, cum hæc scribo. Neque aliter tecum fabulari hic cupiam, quam si una essemus, ac secreti pectorum arcana invicem aperiremus. Nihil hic ficti, nihil simulati dicturus sum, sed omnia ex animo. Cepit enim me impetus aperiendi tibi pectoris mei intima viscera, hortantibus hoc Musis meis. Atque ut in fictilibus pulsando dignoscere licet sitne vas inane an minus; ita tibi potestatem facio experiundi quam non dimidia pars animæ nostræ tu sis, sed & melior & major. Tu enim ea judicii perspicacia es, ut inter verum amicum & adulatorem facile discrimen facias. Ad horum singula optare non dubitaverim

centenas voces, ut quod in omnibus etiam intimis animi recessibus reconditum latet in publicum proferam, & quidem *voce pura* palam faciam; quod an mearum virium sit haud facile dixerim. Revera enim amor in te meus mea fatem lingua inenarrabilis est.

1 Cum primum pavido, &c. *Argumentum.* Causa cur tantus Persii amor in Cornutum, quia, inquit, tu mihi doctor philosophiæ es.

2 Custos purpura. Antiquissimum Romanorum institutum fuit, ut pueri ad pubertatem usque toga amicirentur

1 Cum primum pavido [2] custos mihi purpura 3 cessit,
4 Bullaque succinctis laribus donata pependit:
Cum blandi comites, totaque impune 5 Subarra
Permisit sparsisse oculos jam candidus 6 umbo:
7 Cumque iter ambiguum est, & vitæ nescius error
Diducit trepidas ramosa in compita mentes,
8 Me tibi supposui: teneros tu suscipis annos
9 Socratico, Cornute, sinu. 10 Tunc fallere solers
11 Apposita intortos ostendit regula mores,
Et 12 premitur ratione animus, 13 vincique laborat,

purpura prætexta. Ideo autem *custodem pavido* dixit, quia puerilis ætas obnoxia est alienæ violentiæ. Ideo appoui solitus custos lateri puerorum Pædagogus Quin & purpura etiam custos fuit. Ea enim vestis sacra habebatur. Quare qui purpura utebantur, eo ipso nomine, venerabiles & sancti habebantur: ut si quis contumeliæ vel injuriæ causa purpura insignitos attrectasset, non hominum tantum, sed & deorum jura violasse diceretur: proinde tribuni plebis ea utebantur. 3 *Cessit mihi.* Grandiusculis pueris invisa fuit purpura propter expectationem libertatis. Itaque *cessit mihi*, deponere scilicet eam cupienti. 4 *Bullaque succinctis.* Erat hæc bulla in cordis figuram formata, quam ante pectus de collo suspensam gerebant pueri ingenui: ut bullam inspicientes, ita demum se homines esse cogitarent, si corde præstarent. Hanc & togam prætextam cum ponebant, diis Laribus appendebant, in quorum conspectu pueritiæ insignia moris erat ponere. *Succinctis* autem, quia habitu peregrinantium erant Lares, pellibus amicti, cum cane comite. 5 *Suburra.* Vicus Romæ infamis ob inhabitantes lupas. 6 *Umbo.* Umbo togæ est centrum plicatum in toga. Sic enim lautiorum toga componebatur, ut corrugata in multas plicas clypei speciem præberet. Cujus centrum proprie appellatur *umbo.* Ait autem *candidus umbo*, quia toga virilis alba erat sine purpura. 7 *Cumque iter ambiguum.* Respicit hic literam Pythagoræ; de qua supra. 8 *Me tibi supposui.* Alludit ad ova quæ supponuntur gallinis fovenda. 9 *Socratico sinu.* Tota moralis philosophia à Socrate fuit. Quare Socraticus sinus est institutio in morali philosophia.

10 *Tunc fallere solers.* Duo dicit hic Persius. 1. Correctam priorem suam vitam à Cornuto, postquam se illi in disciplinam dedit. 2. Ita leviter correptum se, atque ab obliquis tramitibus in rectam viam fuisse traductum, ut repentina vitæ mutatione & nimio disciplinæ rigore non offenderetur. Hæc docendi ratio est quæ Persio hic dicitur, *regula fallere solers.* 11 *Apposita intortos, &c.* Id est correxit. Translatum à perpendiculari funiculo, qui tum demum est rectus, quando est intensus. 12 *Et premitur ratione animus.* Est in animo nostro pars ratione prædita, pars rationis expers. Estque hæc rursus duplex. Nam facultas vegetativa prorsus ratione caret: at facultas sensitiva est quidem rationis expers, ex parte tamen rationem participat, & ut loquitur Aristoteles τὸ ἄλογον μὲν, λόγου δὲ πῃ μετέχον Ergo diversa notione vox *animus* hic repetenda Neque enim vere dixeris irrationalem partem

sem laborare aut omnino velle vinci, sed nec rationali parti hoc convenit, quæ vincere laborat non vinci. Verum animus in universum consideratus is est, qui deteriorem illam suam partem vinci cupit, ubi jam meliorem institutionem nactus est atque in eo rationalis & melior animi pars evadit.

13 *Vincique laborat.* Recte laborat; est enim labor ingens & certamen jam arduum, ubi vitia domare nitimur. Videtur hic Persius imitatus Plautinum illud in Trinummo, *Certum est ad frugem applicare: quamquam ibi animo Labos grandis capitur.* Animus autem ducere vultum dicitur, quando bonis moribus informatur: quorum persæpe dat significationem, ut modestiæ aut immodestiæ, iræ aut patientiæ, &c.

Paraphrasis. Ratio hujus mei erga te affectus, Cornute, inde nempe est, quod te usus sim Præceptore diligentissimo fidelissimoque: & eo quidem tempore quo maxime mihi opus erat Rectore: quando ex ephebis egressus sumpta virili toga, cæperam vitæ meæ modum habere, purpura vel toga prætexta deposita, quæ puero mihi & in tenera illa ætate versanti pro custode fuit: & cum bulla mea diis Laribus fuit appensa: cum assentatores & parasiti mihi comites: cum toga libera & virilis assumpta potestatem dedit amori, si ita luberet, indulgendi, & toto illo infami Suburræ vico Laidem aliquam quærendi: cum jam in lubrico ætatis essem, quo tempore aut vitii aut virtutis iter ineundum esset mihi, nescienti quam viam potissimum insisterem, quod tum ea ignoremus quæ ad vitam bene instituendam sint necessaria; tum ego me tibi in disciplinam dedi: tum tu Philosophus Socraticus me suscepisti in sinu tuo fovendum: tum tua disciplina, qua me imbuisti, direxit pravos meos mores sensim, atque ita ut asperitatem novæ disciplinæ vix ullam sentirem. Tum me docuisti ratione pravos affectus subigere: & ita animus meus tua disciplina immutatus, atque ex depravato emendatus, è malo evasit probus.

Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.
1 *Tecum etenim longos memini consumere soles,*
Et 2 *tecum primas epulis decerpere noctes.*
Unum opus, & requiem pariter disponimus ambo,
Atque verecunda laxamus seria mensa.
3 *Non* 3 *equidem hoc dubites, amborum fœdere certo*
Consentire dies, & ab uno sydere duci:
4 *Nostra vel æquali suspendit tempora libra.*
Parca tenax veri: seu nata fidelibus hora,
Dividit in Geminos concordia fata duorum;

1 *Tecum etenim memini, &c. Argumentum.* Hoc versu & tribus sequentibus summam familiaritatem describit, quæ illi fuerat cum Præceptore suo Cornuto, apud quem videtur vixisse, dum Philosophiæ studiis imbueretur.

2 *Et tecum primas epulis.* Convivia paulo ante noctem, hoc est, post horam decimam, seu, ut cum nostratibus loquar, post quartam pomeridianam à sobriis adibantur, & in primam noctem protrahebantur. Primas itaque noctes sive unam aut alteram horam noctis cibo sumendo impendebant: longe erant alia quæ vocabant studia intempestiva: quæ appetere non debent studiorum liberalium sectatores. Ideo addit, *atque verecunda laxamus seria mensa.*

Paraphrasis. Memini etenim me tecum totos dies eosque æstivos transegisse, quin & unam aut alteram noctis horam cibo sumendo tecum impendisse: quod vel præcipuum est arctæ amicitiæ testimonium.

3 *Non equidem hoc dubites, &c. Argumentum.* Hoc addit Persius ut summam animi sui conjunctionem cum animo Cornuti exprimat; ubi singularis amicitiæ causam è syderum consensu petit. 3 *Non equidem hoc dubites.* Præcipuas vitæ partes syderibus alligant Mathematici, nempe, genituram,

ortum, conjugium, educationem, adversa aut læta, mortem. In his omnibus similibusque aliis consentire oportet eos, quorum consentiunt dies vel tempora, ut hic loquitur Persius. 4 *Nostra vel æquali.* Plures sunt constellationes quæ inter se homines jungunt: sed duæ illæ præcipuæ quarum hic fit mentio: cum sub eodem Libræ signo nascuntur, aut sub Geminis.

1 *Saturnumque gravem nostro Jove frangimus una.*
Nescio, quod certe est quod me tibi temperat, astrum.
2 *Mille* 2 *hominum species, &* 3 *rerum discolor usus;*
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat 4 *sub Sole recenti*
Rugosum piper, & pallentis grana 5 *cumini:*
Hic satur, irriguo mavult turgescere somno:
6 *Hic campo indulget; hunc alea decoquit: ille*
In Venerem est putris. Sed cum 7 *lapidosa chiragra*
Fregerit articulos veteris ramalia fagi,

1 *Saturnumque.* Saturnus planeta est maleficus: contra vero Jupiter aspectum præbet benignum. Itaque docent Mathematici Saturnum radiationibus Jovis mitigari.

Paraphrasis. Ex omnibus causis perfectæ cujusdam & magnæ amicitiæ, quorundam judicio est eadem constellatio: quod si ita est, ab effectis tuto colligere possumus, occulta syderis alicujus potestate coaluisse hanc inter nos amicitiam tantam, adeoque firmam. Neque dubitandum certe universam nostram vitam ejusque dies & tempora omnia inter se consentire. Quanquam enim non nati simus sub eodem horoscopo, cum diversæ simus ætatis, ne tamen dubites simillimos fuisse nostros horoscopos & sinistrum affectum Saturni frangi & temperari contraria vi Jovis, quippe signi nobis propitii. Hæc signa hanc tantam inter nos amicitiam conciliarunt: vel certe aliquod aliud: nam omnino aliquod sidus est unde nostræ amborum voluntates studiaque pendent & inter se amice adeo conspirant, vel aliquod sane astrum, quodcunque demum illud sit, indolem meam tuæ attemperat.

2 *Mille hominum species, &c. Argumentum.* Declaravit hactenus suum erga Cornutum amorem: pergit laudare Cornutum à philosophia. Ac primo diversa hominum studia commemorat, ex quorum comparatione crescat laus Cornuti, quod recta institutione homines liberet à tantis malis quæ vitam non ex virtute actam comitantur. 2 *Mille hominum species.* Species hic sunt proposita vitæ, artes vel scientiæ quas homines profitentur.

3 *Rerum discolor usus.* Artes diversæ ac scientiæ quæ circa res versantur: puta Medicina, circa sanitatem: Jurisprudentia, circa æquum & iniquum &c. quod in genere jam proponit, specialius inde persequitur.

4 *Sub sole recenti.* Alexandriæ: nam etsi scribit Plinius piper ab Indis peti solitum, tamen Romani Mercatores ex Emporio Alexandrino id petebant & reliqua aromata, ac quæcunque ex Oriente in Europam tempestate illa deferebantur 5 *Cumini.* Cuminum vel Cyminum herba notissima. Pallens autem dicitur ab effecto, quia in vino epotum pallorem fertur generare. 6 *Hic campo indulget.* Martio, ubi exercitationes campestres.

7 *Lapidosa chiragra.* Chiragricis lapides aliquando in articulis (teste experientia) concrescunt. Sed cur hæc conjungit, *in Venerem putres, & sed cum lapi-*

lapidosa chiragra, &c.? quia à vita luxuriosa & dissoluta morbi articulares plerunque proveniunt.

1 *Tum crassos transisse dies lucemque palustrem,*
Et sibi jam seri vitam ingemuere relictam.
2 *At te nocturnis juvat impallescere chartis:*
Cultor enim juvenem purgatas inseris aures
3 *Fruge Cleanthea; 5 petite hinc juvenesque senesque.*
Finem animo certum, miserisque 4 viatica canis.

1 *Tum crassos transisse dies.* Denotant hæc umbram balneorum, & crassum ac impurum aera qui in locis palustribus videtur: qualis solet esse aër vaporariorum & omnium locorum quæ sol radiis suis non illustrat.

Paraphrasis. Hominum omnium una est voluntas naturalis, eademque universalis: velle esse, & ea omnia appetere quæ ad conservationem sui aliquis judicat esse necessaria. Hæc voluntas omnibus mortalibus est communis. At sunt aliæ voluntates minus late fusæ & huic generali subordinatæ ac propriæ cuique mortalium: nam alius hoc, alius illo modo vitam instituit: & præsidia vitæ varii varie sibi parant. Alii enim sunt quibus finis vitæ ultimus divitiæ sunt; aliis voluptuariorum vita magis placet: alius studio mercaturæ faciendæ ducitur: quales sunt ii qui exportandis indigenis mercibus & exoticis importandis quæstum faciunt: alius vero est qui à cibo somno est deditus: qui quidem irrigat & humectat corpus & saginat, adeo ut somnolenti hi obesi & præpingues inde evadant: alius campestribus exercitiis in campo Martio indulget, in iisque multus est, iis unice oblectatur: alius aleæ dies noctesque intentus rem familiarem absumit: aliis corpus continuo Veneris & aliarum voluptatum usu effœminatum corrumpitur & tantum non putret. At vero quis harum voluptatum fructus? luunt nempe senes eorum pœnas quæ olim juvenes peccaverint. Tum enim chiragrici vel podagrici facti, si pedes & manus spectes, referunt arborem cui præ vetustate rami omnes exaruerint. Tum vero gravi pœnitentia afficiuntur ob vitam anteactam, sed sero. Tum hos vitæ præteritæ pœnitet, nec sine gemitu queruntur se vitam profligate per voluptates in balneis egisse & hypocaustis, quæ adeo multos exhalant vapores, ut illic versari nil aliud sit, quam in crassissimis tenebris & palustribus locis fœdissime vivere.

2 *At te nocturnis, &c. Argumentum.* Avaris mercatoribus & hominibus voluptuariis opponit hic è regione Cornutum, & à dissimilium vel potius contrariorum comparatione laudationem ejus instituit: Quippe quod vere Philosophum agat, idque sequatur vitæ genus, quo universam juventutem Romanam partim demerebatur, partim demereri paratus erat, ut recta institutione homines liberet à malis illis de quibus supra. 3 *Fruge Cleanthea.* Cleantes Zenonis Stoici discipulus fuit, ac postea in schola successor. Frugem Cleantheam appellat poeta Stoicorum doctrinam ethicam, eam nempe quam Cleanthes Stoicus docuit: estque hic elegantissima translatio à cultu agrorum ad cultum animi. Nam, ut ait Cic. 2 Tuscul., cultura animi philosophia est: quæ extrahit vitia radicitus & præparat animos ad satus excipiendos: eaque mandat his, &, ut ita dicam, serit, quæ adulta fructus uberrimos ferant. Ac primo hic nota pro animo aures hic nominari, quia auditu doctrinæ percipiuntur: is enim sensus ad scientias plurimum confert. Secundo nota hic hypallagen; non enim arva serimus in fruge, sed frugem in arvis: sic & auribus fruges, id est disciplinæ inseruntur, non frugibus aures.

4 *Viatica.* Viaticum cibus pecuniave, quam iter facientes nobiscum circumferimus. Hic metaphorice pro senectutis præsidio sumitur, nempe philosophia, quæ non solum alit & munit senectutem salutaribus præceptis adversus

versus senectutis incommoda, sed & eandem, imo mortem ipsam edulcat.

Paraphrasis. At vero tu, ô Cornute, non ita vitam cum dissolutis his instituisti. Cum enim unicum tibi vitæ propositum sit philosophari, & tibi & aliis dies noctesque studiis philosophicis impendis, & ex iis pallorem contrahis ex nimia tua diligentia, ut juventuti Romanæ inservias, quæ ad studia sapientiæ & Stoicæ disciplinæ cognitionem se accingit. Tu enim is es qui colis juvenum animos: atque ut peritus colonus primum à vitiorum sentibus eos purgas: deinde fruge inseris moralis philosophiæ Stoicorum. Ubi nota priusquam virtus tradatur, vitia esse ejicienda. Sed pergo.

5 *Petite hinc. Sensus.* Et juvenes & senes ab isto Philosopho Cornuto petite philosophiam de virtute & moribus: cujus princeps quæstio est, de stabiliendo recto fine. Præsidia hinc petite adversus ea mala quibus obnoxia est dissolutorum misera senectus: ut enim ait Lucilius, Prospiciendum in senectam nunc in adolescentia est.

1 *Cras hoc fiet, &c. Argumentum.* Procrastinatio malum fatale juventutis: quæ ne cogitat quidem in jactura temporis quantum damnum fiat. Hujus erroris sui illum Persius hic admonet.

1 Cras hoc fiet. Idem cras fiet: quid? quasi magnum,
Nempe diem, donas? sed cum lux altera venit,
Jam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras.
Egerit hoc annos, & semper paulum erit ultra.
2 Nam, quamvis prope te, quamvis 3 temone sub uno,
Vertentem sese frustra sectabere 4 canthum.
Cum rota posterior curras, & in 5 axe secundo.

Paraphrasis. At tu, ignave adolescens, virtutis studium semper procrastinas. Cumque hic dialogismus fit Persii & Adolescentis, verba duabus his initialibus literis P. & A. distinguemus. A. Cras hoc fiet, id est, cras ad frugem animum applicabo. P. Idem cras fiet, id est, eadem procrastinatio etiam die crastino locum habebit. A. Quid? Quasi magnum nempe diem donas. Quasi diceret, quid? quid adeo durus & tetricus es? minutulum est quod peto? nempe unius dieculæ usura. P. Sed cum lux altera venit &c., quasi diceret, at vero hæc tua mala dispositio quotidianis procrastinationibus alitur: donec tandem mutetur in habitum. Quod ubi accidit, animus occalluit, ægerrimeque medicinam admittit. Vel, Atqui cras istud quod petis tibi donari, totius vitæ pernitiem trahit. Nullus enim finis. Atque ut hodie dicis cras faciam, ita die sequenti cras faciam dices, & item tertia, ac deinceps per omne tuum ævum. Sic peccata, quæ, quia initio momenti nullius esse videntur, flocci facimus, postea tamen vel eo nomine maxima sunt, quia maximam pernitiem secum trahunt.

2 *Nam quamvis prope te, &c. Argumentum.* Ostendit procrastinatores istos, qui persuadent sibi se aliquando virtuti operam daturos, interea tamen dilatione in diem crastinum semper utuntur, nunquam ad diem illum esse perventuros, in quem suas spes ipsimet rejiciunt. Ostendit autem id allato simili quod relinquit Lectori aptandum ei de quo agitur. 3 *Temone.* Temo lignum est in curru inter equos intermedium continens jugum in curru vel plaustro.

4 *Canthum.* Canthus pro rota synecdochice hic sumitur: Proprie enim ferrum illud significat quo rotæ curvatura præmunitur ad compagem totam constringendam. Vox græca est. 5 *Axe.* Axis lignum illud teres circa quod rota currus vertitur.

Paraphrasis. Quemadmodum cum currit quatuor rotarum currus, posteriores rotæ etsi minimo intervallo sejunctæ sint à prioribus, nunquam tamen illas consequuntur: sic tu procrastinator, qui studia philosophica in crastinum diem

sem-

semper differs, diem illum qui studiis te admovebit nunquam assequeris, licet illi semper sis proximus. Hæc Persius Atque omnino ita est. Procrastinatores finem desidiæ suæ facturi sunt jam jam, nec tamen faciunt aut facient unquam.

[1] *Libertate opus est;* [2] *non* [4] *hac, qua quisque* [4] *Velina*

1 *Libertate opus est, &c. Argumentum.* Postquam monuit Persius juvenes ut seposita omni procrastinatione ad studia philosophica se convertant, ut assueti otio & luxuriæ vitæ genus mutent, & deliciis bona fide renuntient, jam docet qua via eo perveniri possit. Ea via est, ut vindicent se in libertatem, & miseram vitiorum servitutem, quæ causa erat harum morarum, statim abrumpant. Hic ergo Stoicum paradoxon tractat, *Solus sapiens liber, insipiens omnis servus.* Principio thesin ponit, & instituto suo accommodat: inde duas paradoxi partes tractat: prior est de libertate sapientis: posterior de servitute insipientis, ab illis verbis, *Liber ego, unde datum hoc sumis tu subdite rebus.* 2 *Non hac.* Duplex est libertas, civilis seu corporea, qua servi manumissi fiunt liberi & cives Romani, ut vindicta, censu, testamento: alia est libertas animi, quæ sola hoc nomine vere digna est, nam quanto animus præstantior est corpore, tanto ejus libertas libertate corporis dignior est. Primo libertatem corpoream indignam esse libertatis nomine demonstrat. Inde, unde & quibus rationibus vera ea libertas animi sit parabilis, & quis demum censendus sit illam vere consequutus, luculenter demonstrat. Ita prior pars absolvitur. 3 *Velina.* Ciceronis ætate urbs in 35 tribus erat divisa, ut apertissime ostendit in orationibus contra Rullum de lege Agraria. Harum nomina erant Æmilia, Cornelia, Claudia, Exquilina, Velina, Veientana, &c. Horum & sequentium verborum explicationi facem præferunt hæ observationes de servorum apud Romanos manumissione. 1. Servi manumissi liberi dicebantur apud Romanos: hujus autem libertatis hoc erat effectum; manumissi in tribum adscribebantur, ut cives Romani fierent. 2. Hoc eo valebat ut commoda possent percipere, quæ civium Romanorum erant communia. Maximum istorum erat frumentatio. Ingens enim quotannis frumenti vis publice erogabatur ad sublevandam pauperum civium tenuitatem. 3. Ad hujus commodi participationem non temere & promiscue omnes soliti admitti, sed illi tantum qui Curatori annonæ cives se esse probassent & ab eo tesseram accepissent. 4. Liberos & servos Romæ non vestis distinguebat, sed appellatio: alia namque horum, alia illorum erant nomina. Ideo cum libertate novum nomen assumebant. 5. Non semper autem qui manumittebantur cives fiebant. Erat enim imperfecta quædam libertas, ut Latinorum: at cives illi demum erant qui plena libertate donati, & in aliquam tribum erant relati Ideo Persius ait, *Publius Velina*; hac locutione tribum indicans: sic Oppius Veientana &c 6. Inter alios manumissionis ritus fuit, quæ à Persio vertigo vel turbo dicitur, cum manumittendus dextra prehensus à domino in orbem rotabatur. Inde circumagi pro liberari apud Senecam. 7. Cum servi manumitterentur pileo donabantur Insignia enim novitii liberti fuerunt calvitium, pileus candidus, toga, caligæ aut calcei. 8. Inter nomina servilia quædam erant à quibus non abhorrebant liberi: alia quæ in hominem liberum non caderent. Dama iste servus, etiam liber factus nomen servat. Sic Mena Ille Pompeii servus apud Horatium Honestissima enim illa nomina. 9. Apud Romanos prænomina erant Marcus, Publius. His gaudebant cives Romani, potissimum vero qui non ita pridem libertate donati. 10. Cum servi à Prætore (hero ita volente) manumitterentur, Prætor manumittendi servi capiti virgam imponebat: & *virga* hæc seu *virgula* vocabatur *vindicta*, quod in libertatem servi ea vindicarentur: atque hæc virgula *festuca* alias appellabatur. Sed jam redeamus ad Persii verba. 4 *Non hac qua quisque Velina, &c. Argumentum.* Hic disputat adversus eos qui libertatis nomine manumissionem servorum intelligebant & qua liberti fruebantur. Quorum opinionem ut omnino falsam rejicit & refutat Persius.

Publius [1] *emeruit*, [2] *scabrosum tesserula far*
Possidet. Heu steriles veri, quibus una [3] *Quiritem*
Vertigo facit. Hic Dama est non tressis [4] *agaso*,
[5] *Vappa, & lippus, & in* [6] *tenui farragine mendax.*
Verterit hunc dominus. momento turbinis exit
Marcus Dama. Papæ! [7] *Marco spondente, recusas*
Credere tu nummos? [8] *Marco sub judice palles?*
[9] *Marcus dixit: ita est*, [10] *assigna, Marce*, [11] *tabellas.*
[12] *Hæc mera libertas, hanc nobis pilea donant.*

1. *Emeruit.* Proprie locum habet in militibus aut gladiatoribus. Inde *emeriti* qui missionem consequuti sunt è militia aut arena. Hic de servi manumissione dicitur.

2 *Scabrosum far.* Gurgulionibus exesum, corruptum. Alii libri, scabiosum, id est, scabrum, retorridum, asperum. 3 *Quiritem.* Id est liberum. Non eos reprehendit, qui manumissos pro civibus & liberis & quidem Quiritium jure haberent: sed qui pro liberis simpliciter, id est, ea libertate, quæ proprie meretur id nomen.

4 *Agaso.* Equorum vel asinorum ductor. Ideo autem dicitur tressis, quia omnibus contemptui est. Hic & hæc tressis, & hoc tresse, vilis & minimi precii, quasi trium assium. Ergo Agaso, id est, inter servos abjectissimæ conditionis. Nam etsi jurisperitis servi omnes unius sint conditionis: erant tamen inter ipsos alii aliis lautiores: neque eodem loco habebantur atriensis aut dispensator cum mulione aut agasone. 5 *Vappa.* Vinum fugiens cujus vis omnis evaporavit, adeo ut & saporem amiserit & odorem. Per translationem (ut hic) sumitur pro homine ignavo, deside, inerte & in quo nihil sit industriæ aut solertiæ. Horat. Sat. 1. lib. 1. —— *non ego avarum Quum veto te fieri vappam jubeo aut nebulonem.* 6 *In tenui farragine.* Farrago non hominum sed quadrupedum est pabulum. Hic pro farre sumitur vel diversorum leguminum commistione pabuli causâ. 7 *Marco spondente.* Pergit huic Marco ad pingere notas aliquas liberi & civis Romani. *Spondere*, judicem esse, testem fieri in contractibus, testem in testamento. Quæ omnia negata servis.

8 *Marco sub judice.* Obiter Persius indignationem suam prodit, quod pateret illa ætate judicum ordo etiam libertis; solerentque ex eis in judices legi. 9 *Marcus dixit.* Immoratur in prænomine Marci. Honorifica Romæ appellatio prænominis & nota ingenuitatis. Itaque Horat. Sat. 5. lib. 2. *Marce puta aut Publi. Gaudent prænomine molles Auriculæ.* 10 *Assigna Marce tabellas.* Id est subscribe & signa. Formula fuit rogandi testis, qui ad testamenti signationem rogatus venit. 11 *Tabellas.* Tabellæ vel tabulæ inter alia significata dicebantur codicilli ex ligno cera obducti. In quibus olim testamenta actaque publica scribebantur. Hinc *tabula* pro testamento Cicero pro Cælio: Cælius tabulas nullas confecit; id est, nullum testamentum. Hic sub eodem significato ponitur diminutivum. 12 *Hæc mera libertas.* Conclusio præcedentium: qua colligit iste ex effectis quæ commemoravit veram esse libertatem quam manumissi consequantur. At cum Ironice hæc dicantur, nihil minus vult Persius quam quod hic colligit.

Paraphrasis. Libertate, ut diximus, opus est. At qua tandem? non ea corporis, quam liberti Romæ consequuntur. Quam ut quisque servus emeruit, nomine Romano donatur, videlicet Publii aut Marci. Itemque uni tribuum adscribitur, puta Velinæ, atque inde accipiendi à Curatore annonæ tesseram jus habet: annonæ, inquam, quæ nauci fortasse non fuerit, quippe corrupta & gurgu-

gurgulionibus exesa. Sedenim à vero & recto alienissimi mihi videntur, qui cum manumittendi sint & à domino dextra prehensi atque inde in orbem rotati, statim sibi vere liberi videntur. Vis vero brevi hypotyposi ob oculos tibi ponam eorum intolerabilem insolentiam, qui post longam servitutem libertatem & divitias tandem nacti sunt Viden' tu hunc servulum Damam. hic nunc non est ullius æris. Primum enim est agaso non tressis, id est abjectissimæ conditionis servulus: deinde vappa & lippus, hoc est moribus corruptissimus, & quem nulla vel corporis vel animi virtus commendet: etiam tenui farragine mendax, id est fraudum & dolorum plenus, quas exercet in rebus minutis; quia nonnisi minuta ejus fidei committuntur. At vero quanquam hic Dama, ut jam dixi, abjectissimus sit servulus, si tamen eum liberum Dominus esse jusserit & de more circumegerit, vel momento temporis illius brevissimi quo circumagitur pro libero habetur & honorifica compellatione ornatus ex Dama Marcus Dama evadit. Hinc subit parasitus aliquis non sine hac assentatione. *Papa! Marco spondente*, id est, *Papa*! recusas tu fœnerator alii pecuniam credere cum fidem pro eo interponere paratus sit Marcus Dama, summi scilicet nominis civis Romanus? nonne Marcus Dama eo honoris evectus est, ut in judicum Romanorum numerum cooptatus sit, eaque sit auctoritate ut non sine pallore eum revereantur, imo metuant rei? Marcus dixit & hoc pro vero asseruit, ergo fides adhibenda est; quicquid enim Marcus asserit indubitatæ debet esse fidei: ac proinde ad testamentorum signationem vocatus venit. Quæ omnia apud omnes, ejus fidem, auctoritatem & dignitatem testatissimam faciunt. Scilicet hæc extra omnem controversiam libertas est: hujusque insigne nobis est pileus quo à Domino nostro aut Prætore donati fuimus.

1 *An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam*
Cui licet, ut voluit? licet, ut volo, vivere: non sum
Liberior 2 *Bruto? mendose colligis, inquit*
Stoicus hic, 3 *aurem mordaci lotus aceto.*
Hæc reliqua accipio: licet, ut volo, vivere, tolle.
4 *Vindicta postquam meus à Prætore recessi,*
Cur mihi non liceat, jussit quodcunque voluntas,

1 *An quisquam est alius liber, &c. Argumentum.* Supra à posteriori probavit ille veræ libertatis ignarus se liberum esse; à posteriori, inquam, id est ab effectis. Nam servus legitimo jure non potuit se sistere judicio: qui sponsores, testes, judices, profecto illi sunt liberi. Sequitur probatio à priori, quæ certior est & veræ demonstrationi aptior. Est enim à definitione libertatis. Hanc ita definit: Libertas est facultas vivendi ut velis. Argumentum ita plene proponitur. *Cui licet vivere ut vult; is est liber: At mihi licet vivere ut volo: Ergo ego Dama sum liber; imo Bruto ipso liberior.* Respondet Stoicus, nego minorem; quod ad majorem attinet, eam admitto.

2 *Bruto.* Brutus expulso Tarquinio superbo ultimo Romanorum Rege, civitateque in libertatem vindicata, primus Romæ cum L. Tarquinio factus est Consul. Primus ergo hic fuit populo Romano libertatis auctor. Acerrimi etiam publicæ libertatis propugnatores fuerunt alii duo Bruti: nempe M Brutus unus ex Cæsaris Dictatoris percussoribus, & D. Brutus qui Mutinæ ab Antonio fuit obsessus, eaque obsidione Hircii & Pansæ opera liberatus.

3 *Aurem lotus aceto mordaci.* Ut supra, *purgatas inseris aures Fruge Cleanthea*, & sat. 1. *Inde vaporata lector mihi ferveat aure.*

Paraphrasis. An quisquam alius liber nisi cui licet ex animi sententia vivere?

re? at mihi licet ex animi sententia vivere: Ergo Bruto ipso liberior sum publicæ libertatis apud Romanos auctore & propugnatore acerrimo.

Ubi nota liberti hujus putidam jactantiam præferentis se ipsi Bruto. Certe *Asperius nihil est humili quum surgit in altum.* Sed pergo. Audio sane paralogismum, dicet Stoicus, cui purgatæ aures aceto, id est, qui ob judicii acumen ubi peccet tuus syllogismus facile perspicit Responsio supra fuit.

4 *Vindicta postquam, &c. Argumentum.* Dama sylogismum suum corrigit ita, *Liber est cui licet vivere ut vult, nisi quid leges impediant.*

Excepto si quid Masuri 1 rubrica vetabit?
2 Disce: sed ira cadat naso, rugosaque sanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello.
3 Non prætoris erat stultis dare 4 tenuia rerum
Officia, atque usum rapidæ permittere vitæ.
5 Sambucam citius 6 caloni aptaveris alto.

1 *Rubrica.* Id est lex: legum enim tituli & capita rubricâ notabantur. Per Masuri rubricam intellige jus publicum. Fuit enim Masurius Jurisconsultus non incelebris qui de publico jure scripsit.

Paraphrasis. Postquam Prætoris vindicta liberatus sum à servitute, & mei juris factus, nonne mihi licet vivere ut volo? excepto eo quod mihi vivendum sit ex legum præscripto.

2 *Disce: sed ira cadat naso, &c. Argumentum.* Refellit superiorem argumentationem, verum priusquam ad superiorem argumentationem respondeat, responsionis libertatem deprecatur.

Paraphrasis. Disce quæso, recens libertate donate; disce, inquam, quid sit vera libertas; absit tamen ira, absit sanna omnis, nec nasi crispatione vel hujus vel illius significationem prode, dum e pulmone tuo, id est animo, ventosa arrogantia inflato, evello falsas opiniones, quas à nutriculis hausisti & aniculis: quasque à Romanis adolescentibus discis, qui nobilitate gloriantur, quod majorum suorum imaginibus atria domorum suarum videant completa.

3 *Non prætoris erat, &c. Argumentum.* Jam refellit superiorem argumentationem. 4 *Tenuia rerum officia.* Scelera & majora flagitia vetant leges: officia rerum id est servanda in rebus agendis non docent leges nisi rotunde & modo crassiori. Ait autem *tenuia*, quia Philosophi accurate explicant quæ boni viri sint officia, in omni re etiam minima; puta victu, vestitu, incessu, aliisque etiam minutioribus.

Paraphrasis. Quod dicis, liberte, ex manumissione libertatem tibi partam esse faciendi quicquid velis, exceptis iis quæ contra leges sint; Respondeo: Illi, qui vere liber sit futurus, non solum ab illis abstinendum esse quæ leges vetant: sed omnino ab omnibus iis quæ rectæ rationi repugnant, quamvis de illis nihil sit editum à Prætore. *Vel*, Quod confugis ad auctoritatem Prætoris, erras. Prætor quod suum erat fecit: nexu illo juris civilis te liberavit, quo in servitute corporis tenebaris. Illud nego Prætorem potuisse efficere, ut tu qui sapiens non es sed stultus, veram sapientiam consequereris. Ea namque animi libertas est, quam sola philosophia potest conferre. Hæc enim vitæ magistra affectibus te liberabit, eumque te efficiet, qui nihil velis, nihil optes, nihil metuas, nisi quod ratio suaserit: hæc ubi consequutus fueris, tum demum merito liberum esse te pronuntiabit, & vitæ arbitrium tibi permittet rapidæ & velocis.

5 *Sambucam citius, &c. Argumentum.* Non posse fieri ut Prætor artem vitæ tradat & vera libertate quenquam donet, exemplis docet probatque: 1. est ab exercitiis musicis: 2. à re medica: 3. à re nautica. Unde colligit stultum esse à Prætore rationem vitæ bene beateque regendæ exigere, cur enim à quoquam id exigas quod non didicerit, quod non profiteatur?

5 *Sambucam.* Sambuca vox est Syriaca, qua Græci Latinique instrumentum Musicum denotant, quod vulgo harpa, propter veteris formæ similitudinem: fuit enim instrumenti Musici genus trianguli, quod ex nervis tum longitudine tum crassitie inæqualibus constabat. 6 *Caloni.* Calones servi militum castra sequentes, qui militibus ligna subministrabant & cætera necessaria.

Paraphrasis. Sicut stultum fuerit à cacula aliquo homine omnium rerum rudi atque imperito exigere ut instrumenta Musica rite tractet & perite tanquam aliquis citharœdus aut auloedus; sic ineptum fuerit à Prætore artem vitæ aut veram libertatem expectare.

1 *Stat contra ratio, & secretam gannit in aurem*
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
2 *Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas,*
Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
3 *Diluis helleborum, certo compescere puncto*
Nescius examen? vetat hoc natura medendi.
4 *Navem si poscat sibi peronatus arator*
5 *Luciferi rudis, exclamet* 6 *Melicerta perisse.*

1 *Stat contra ratio.* Id est, prorsus rationi repugnas, si illi arti te immisceas quam nescias: quicquid enim sic aggredieris, id vitiabis, id est, nunquam id recte facies, sed quo magis perges, eo reddes id deterius. Sed cur *aurem secretam?* quia Stoica hæc dogmata non solum ingrata vulgo, sed etiam periculosa apud Proceres. 2 *Publica lex hominum.* Hoc & sequenti versu paulo aliter repetit quod præcedentibus dixerat *Sensus.* Naturæ & gentium jure constitutum est ut *debilis inscitia*, id est cujusque artis imperitus & propterea impotens ad illam exercendam, *teneat vetitos*, id est habeat pro vetitis ac sibi interdictis, *actus* nempe quos nescit; quod supplendum ex vi vocis *inscitia.* Intelligit autem ignoratæ scientiæ praxin. Nota in voce *inscitia* esse metonymiam adjuncti pro subjecto, id est insciens atque ignarus. 3 *Diluis helleborum.* Redit ad exempla. *Sensus.* Nemo ferat quæ sunt Medici eum agere qui non sit Medicus. Nemo helleborum diluere, id est aqua aut alio liquore admisso temperare; nemo veratrum in medicinam adhibere debet si nesciat eo uti pro genere veratri, pro genere morbi, pro anni tempore, pro viribus denique ægroti. Hoc enim vetat natura medendi, id est ars medica, quæ naturam imitatur & adjuvat, neque facit quicquam nisi quod ipsa, si posset, faceret. Scilicet perturbata sint omnia si mederi morbis aggrediatur arator peronibus calceatus, quibus calceamentis ex crudo corio Romani cives antiquitus utebantur: aut si medicus incipiat arare.

4 *Navem si poscat, &c. Argumentum.* Tertium exemplum à re nautica.

5 *Lucifer.* Lucifer cum antegreditur solem, stella Veneris est seu Phosphorus: cum solem subsequitur, Hesperus dicitur. 6 *Melicerta.* Inûs & Athamantis Thebarum Regis filius, cum quo mater, cum virum videret furere, in mare se præcipitavit: amboque deorum commiseratione in numina sunt commutati. Ino quidem in Leucotheam, quam & Matutam matrem vocant: Melicerta vero in Palæmonem, quem Latini Portunum vel Portumnum appellant à portubus quibus præesse credebatur Melicerta vel Melicertes.

Paraphrasis. Si quis totius cœlestium syderum contemplationis imperitus (quæ aliqua ex parte navis gubernatori necessaria est) navis moderamen poscat, nonne Melicerta aut quivis rei nauticæ peritus exclamet impudentissime totam rerum naturam esse perversam, & ex hac hominum societate & commerciis sublatum esse omnem pudorem,

Frontem de rebus. [1] *Tibi recto vivere* [2] *talo*
Ars dedit? [3] *& veri speciem dignoscere calles,*
Ne qua subærato mendosum [5] *tinniat auro:*
Quæque sequenda forent, & quæ vitanda vicissim,
[4] *Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.*
Es [6] *modicus voti, presso lare, dulcis amicis,*
Jam nunc adstringas, jam nunc [7] *granaria laxes,*
[8] *Inque luto fixum possis transcendere nummum.*
Nec [9] *glutto sorbere* [10] *salivam Mercurialem.*
[11] *Hæc mea sunt, teneo, cum vere dixeris: esto*
Liberque, ac sapiens, Prætoribus ac Jove dextro.
[16] *Sin tu, cum fueris nostræ paulo ante farinæ,*
[12] *Pelliculam veterem retines, & fronte politus*
[13] *Astutam vapido servas sub pectore vulpem:*
[14] *Quæ dederam supra, repeto,* [15] *funemque reduco.*

1 *Tibi recto vivere talo, &c. Argumentum.* More suo Persius postquam docuit unde libertas vera neque petenda neque expetenda sit, subjicit ejus parandæ veram rationem: ea autem non est alia quam si philosophiæ inservias, quam hic artem vocat per excellentiam. Eâ enim illa ars est supra omnes artes quæ docet vitam recte beateque degere. Continent autem novem versus sequentes boni & sapientis viri characterismum. 2 *Recto talo.* Talus rectus est eorum qui stant, eorum qui cadunt non rectus; Horat. in arte *Securus cadat, an recto stet fabula talo.*

3 *Et veri speciem.* Quid sit recto talo vivere deinceps explicat, recto nempe esse judicio & in opinionibus inde proficiscentibus persistere.

4 *Illa prius creta.* Id est, quæ probanda, creta; quæ improbanda, carbone notasti, Horat. *Quorsum abeant sani? creta an carbone notandi?*

5 *Tinniat.* In metallis proprie locum habet hoc verbi. 6 *Modicus voti.* Sic apud Tacitum, modicus originis, modicus pecuniæ, id est quoad originem, quoad pecuniam. 7 *Granaria.* Granarium locus in horreis servandis seminum granis paratus, vel in quo grana frugum reponuntur.

8 *Inque luto.* Horat. eum laudat, quisquis ingentes oculo irretorto spectat acervos. 9 *Glutto.* Gluttus est pars colli qua cibi transmittuntur. Ficta vox per onomatopœian: nam glut, est imitatio soni quem edit liquor per angustum tramitem means. 10 *Salivam Mercurialem.* Mercurius lucri Deus. Hinc saliva Mercurialis est cupiditas devorandi lucri. Gulosis enim, præsertim cum famelici sunt, salivam movet cibus appositus.

11 *Hæc mea sunt.* Hæc sunt illa una quæ vere possideo, & quæ me meum reddunt. Respicit verba illa, Vindicta postquam meus à prætore recessi.

12 *Pelliculam veterem.* Id est consueta vitia: tractum hoc ab Æthiope qui non mutat pellem suam, sed in qua natus est, in ea moritur. Fortasse Persius hic vernationem anguium respexit, qui vere novo ponunt veterem pellem.

13 *Astutam vulpem.* Id est fraudes vulpinas. 14 *Quæ dederam supra.* Dederat illud, *esto liberque ac sapiens.* Hoc nunc repetit. 15 *Funemque reduco.* Id est servitutem. Respicit illa, *an dominum ignoras nisi quem vindicta relaxat,* scilicet à servitutis vinculo. Vel fortasse alludit ad puerilem apud Græcos lusionem per attractionem & intensionem funiculorum. Quin & funibus ac manicis constringi solebant servi, ubi gravius aliquod vitium admisissent: sic apud Terent. de Davo, constringito belluam.

Paraphrasis. Vis te doceam an vere servus an liber censendus sis? si is sis nempe qui præeunte vitæ magistra philosophia didicisti recte sapere, verum à veri specie tanquam adulterina pecunia discernere; & si vitia aversari & odisse;

disse, virtutem autem animitus & sincere probare didicisti. Si juxta philosophiæ præcepta pauca appetis; paucis contentus es; si amico egeno qua potes succurris; si ex rationis præscripto, modo frugalior, modo liberalior es: si is sis qui lucrum sordidum possis contemnere; quod ab iis neutiquam fieri solet qui non multum solliciti sunt unde lucrum adveniat, modo veniat. Hæc si possis, tum quidem vere demum liber es, non solum volente Prætore cui tuam libertatem paulo ante acceptam ferebas, sed ipso etiam Jove dextro, id est annuente & propitio, qui veræ libertatis auctor est certissimus.

Nota. Tria a vere libero exigit; primo sapientiam id est scientiam artis bene vivendi; secundo praxin & vitam ex illius scientiæ præceptis traductam; tertio sinceritatem & perseverantiam, de qua verbis sequentibus.

16 *Sin tu cum nostra. Sensus.* Sin vero superior viri boni & sapientis descriptio tibi non conveniat, sed cum boni viri speciem præ te feras, animo tamen doloso & fraudulento es, atque intus ea etiamnum vitia foves, quibus antea renuntiasse aliis videbaris, quam laudem tibi antea detuli, eam tibi ut hypocritæ & fucati ingenii mancipio detraho.

[1] *Nil tibi concessit ratio:* [2] *digitum exere, peccas.*
Et quid tam parvum est? sed nullo thure litabis,
Hæreat in stultis brevis ut semuncia recti.
Hæc miscere nefas, nec, cum sis cætera fossor,
Treis tantum ad numeros [3] *Satyri moveare* [3] *Bathylli.*
[4] *Liber ego. Unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?*

1 *Nil tibi concessit ratio, &c. Argumentum.* Prolepsis est. Poterat iste dicere, quanquam perfecte liberi & sapientis viri definitio mihi non conveniat, liber saltem ex parte tamen & sapiens sum. Opponit his decretum Stoicorum, quo pronunciatur omnes qui non sint sapientes esse stultos; nihil esse medium. Peccata enim non distingui, sed esse æqualia. 2 *Digitum exere.* Ponitur hic in exemplum minimæ actionis & in quam non videatur boni aut mali ratio cadere: cadit tamen ex doctrina Stoicorum: nam si contra rationem & malo fine digitum exeras, ut si exerto digito alium irrideas aut ludibrio habeas; tum rationi aliquid dissonum facis, & hæc ipsa digiti extensio peccati naturam induit. 3 *Bathylli.* Is cum Pylade primum intulit Romam gesticulationem Pantomimorum. 3 *Satyri Bathylli*, qui non minus bene quam satyrus aliquis saltet. Satyri autem vel Fauni dii sylvestres & capripedes; his saltandi peritiam tribuunt Poetæ. Virg. *Saltantes satyros imitabitur Alphisibœus.* At legendum hic satyrum, ut saltare Bacchum, & similia. Sic dixit Horat. moveri satyrum & Cyclopem in epist. ad Julium Florum lib. 2. —— *ut qui Nunc satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.*

Paraphrasis. Si in vita instituenda fucum facias, nihil ex rationis præscripto agis: si vel digitum exeras, certe in re illa minima, imo (ut ita dicam) minima minore, proculdubio peccabis, quia nihil est vel minutissimum à nobis agendum nisi id suadeat ratio aliqua. Et quod dixi te *Jove dextro* liberum futurum, funem reduco & verba mea retracto. Nullo enim sacrificio, nullo thure hoc à Jove impetrabis, ut stultitiam & sapientiam commisceat, & ut stultis adhæreat vel uncia aliqua sapientiæ aut veritatis semuncia, curta illa licet & cui aliquid desit. Nefas scilicet hæc miscere, quia sapiens quidquid facit, ex omni virtute id facit: sic ut una quidem præcellat in singulis actionibus, sed accedant & succenturiatæ veluti reliquæ omnes. Nec tu cum cætera

tera sis fossor, id est imperitus aliquis aut idiota, si tres numeros Bathylli Pantomimi effinxeris, non idcirco Pantomimus eris: ita neque tu propter semunciam recti sive sanæ mentis sapiens eris & liber.

4 *Liber ego, &c. Argumentum.* Transit ad alteram paradoxi partem: & omnes stultos probat esse servos. *Sensus.* Siccine ais te liberum esse, unde est quod pro confesso hoc sumas, cum tot affectuum mancipium sis, cum tot affectibus sis subditus?

1 *An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?*
2 *I puer, &* 3 *strigiles Crispini ad* 4 *balnea defer,*
Si increpuit, cessas nugator? servitium acre
Te nihil impellit: nec quicquam 5 *extrinsecus intrat,*
Quod nervos agitet. 8 *Sed si intus, & in* 6 *jecore ægro*
7 *Nascuntur domini, qui tu impunitior exis.*
Atque hic, quem ad strigiles scutica, & metus egit herilis?

1 *An dominum ignoras. Sensus.* An distinctionem hanc ignoras: Servitus alia est corporis, alia animi? Corporis domini sunt homines: animi vitium & affectus. Illam solvit manumissio rite peracta: hanc sola virtus.

2 *I puer & strigiles, &c. Argumentum.* Utriusque servitutis supra propositæ exempla proponit, ac prius de servitute corporis, inde de servitute animi, illis verbis *Te nihil impellit.* 3 *Strigiles.* Strigilis, instrumentum proprie è ferro dentatum, quo equos & id genus jumenta expolire solent equisones, è corpore sordes abradendo. Strigilibus etiam utebantur veteres ad radendas sordes corporis, sudoremque tergendum præcipuè in frictionibus corporis ante cibum. 4 *Balnea.* Balnea loca sunt publica vel privata in quibus aut sanitatis aut abstergendarum sordium causa lavamur. 5 *Extrinsecus.* Alludit ad neurospasta, id est imagunculas quæ nervis quibusdam & fidiculis occultis moventur, perinde ac si viverent. Horat. lib. 2. Serm. sat. 7. Duceris ut nervis alienis mobile lignum. *Sensus* ergo est ut fidiculis neurospasta moventur, sic tua libidine, ut nervis aut fidicula, traheris.

6 *Jecore ægro.* Jecore amamus. Cum vero jecur libidine accenditur, tum merito ægrum dici potest. Est enim libido morbus internus, quod de alio quovis animi vitio pronuntiandum. 7 *Nascuntur domini*, id est vitia prædominantia, ut nos Christiani loquimur.

Paraphrasis. Ut utriusque servitutis exempla conferam. Cum jubet Dominus ut tu puer seu servus ad Crispini Balnea strigiles deferas, quibus abstergantur illi corporis sordes inter lavandum, si forte servitium illud vel ad exiguum temporis momentum detrectes & excusationes prætexas, nonne ilico Dominus excandescens his verbis servum increpabit; quid agis nugator? hiccine cessas? non dicto ocyus id exequeris quod tibi à me mandatum? nonne servitus hæc acris & dura admodum tibi videatur, neque externum hoc Domini tui imperium ad laborem capessendum ilico te impellit? proculdubio de dura hac servitute multum tacite quiritabis.

8 *Sed si intus & in jecore.* At vero qui magis tibi impune est si dominis internis, id est animi vitiis misere mancipatus sis? An si exteriorem Dominum non habes, interiorem vero circumfers, eumque non unum sed plures, qua fronte liberum te dices? quid causæ dices, cur tua melior sit conditio quam ejus qui servitutem corporis servit? Nempe hi illi sunt domini seu tyranni potiores, qui in animo ægro nascuntur & nervos intus agitant. Imo vero longe gravior

gravior est interior hæc servitus, quam exterior; quæ verberibus & metu servili mancipium aliquod impellit ad operam *domino lauro* præstandam & ad strigiles in balnea deferendos.

Nota Non parum hæc illustraverint quæ Paulus scribit variis locis de interiore & exteriore homine; vid. epist. Pauli ad Rom. cap. 7. à versu 17 ad finem, ubi gravis occurrit Beati Pauli querela de interiore servitute: Eodem spectat illud Senecæ, *Sibi servire gravissima est servitus*; atque illud Boetii, Extrema est servitus, cum animæ vitiis deditæ, rationis propriæ possessione ceciderint.

1 *Mane piger stertis: Surge, inquit Avaritia; Eia.*
Surge. Negas. instat; Surge, inquit, Non queo. Surge.
En quid agam? rogitas? en, 2 saperdam advehe 3 Ponto,
4 Castoreum, 5 stupas, 6 ebenum, thus, 7 lubrica Coa.
Tolle recens primus piper 8 è sitiente camelo:
Verte aliquid, jura. Sed Jupiter audiet; eheu!
9 Baro, regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si vivere cum Jove tendis.

1 *Mane piger stertis, &c. Argumentum.* Deinceps quam durum sit vitiorum servitium, cum plura simul eundem misere in diversa trahunt, variis exemplis luculentissime demonstrat. Primum exemplum est illius qui duobus dominis Pigritiæ & Avaritiæ servit.

2 *Saperdam.* Saperda piscis pontici genus, qui in Mæotide palude optimus capiebatur. Festus vilissimum piscem interpretatur.

3 *Ponto.* Ponto Euxino, quo Pontus Asiæ minoris provincia à Septentrione clauditur. Hic curvatus in figuram Scythici arcus committitur ostio Mæotidis paludis, ubi optimæ capiuntur saperdæ, ut supra diximus.

4 *Castoreum.* Castor animal est ex genere amphibio, quod latine fiber ponticus appellatur, ex cujus testiculis medicamentum conficitur, quod Castoreum Medici appellant.

5 *Stupas.* Stuppa, vel potius stupa, vel, ut quibusdam placet, stypa, linum vile, quod lini cortici proximum est.

6 *Hebenum.* Vel sine aspiratione Ebenum. Hæc hebenus vel hoc hebenum: lignum est intus nigrum, foris buxi specie. Virg. 2. Georg. —— *sola India nigrum Fert ebenum.*

7 *Lubrica Coa.* Vina Græca μαλακὰ à Co vel Cea insula maris Ægei ubi nascuntur. Lubrica, id est suavia & facile defluentia. Thus & piper notiora sunt quam ut explicatione egeant.

8 *E sitiente Camelo.* Ideo Camelus sitiens dicitur, non quod eum sitis ad bibendum sæpe impellat, sed quia sitim diu tolerat, etiam ad quatriduum.

9 *Baro.* Varones seu Barones fuerunt militum servi, calones seu caculæ grandes & stupidi.

Paraphrasis. Ecce videamus quam durum sit vitiorum imperium & servitium inde subeundum. Pigritiæ deditus matutino somno indulges. Ecce advolat avaritia, teque iterum atque iterum suscitat, & si negas surgere, instat & urget, nec prius desistit quam arctum soporem tibi excutiat. Quod si quæras quid ubi surrexeris tibi agendum sit: sic instabit. Tunc vero desidiose rogitas quid sit agendum? quasi vero desit quod agas. Age vero à ponto advehe merces has, saperdam &c. propera Alexandriam vel ad alia orientis emporia quo piper defertur Camelis, nam Romam mari deferebant, & quia in eo præcipua lucri spes est, si primus genus aliquod mercis possis importare, è camelo primus tolle recens piper: verte, inverte merces: jura, imo, peiera.

Sed

Sed fortasse metus deorum te inde deterret. Eheu quam misera tua conditio quem in diversa rapiunt pigritia, avaritia & metus superum! At tu stupide, si pietatem curas, permanebis adeo pauper, ut bene tecum agi existimaturus sis, si pulmentarii loco salem habeas, qui sane pauperrimorum victus est: quin & perages, id est quamdiu vives semper eris pauper, atque adeo spe etiam omni carebis fortunæ paulo saltem lautioris, & contentus futurus sis duobus digitis primoribus pauxillum salis delibare, sic ut vestigia impressa appareant digitorum, si modo juste & sine perjurio cum Jove victurus sis.

1 Jam pueris pellem succinctus, &c. Argumentum. Ut ante avaritia impulsus iste Baro fuit ad navigandum; ita jam deinceps luxuria & voluptate à navigationis proposito revocatur.

2 Pueris. Id est servis; nullus enim mercator se itineri accingere solet

1 Jam 2 pueris pellem succinctus, & œnophorum aptas:
Ocyus ad navem, nihil obstat quin trabe vasta
3 Ægeum rapias, nisi 4 solers luxuria ante
Seductum moneat. 7 Quo deinde insane, ruis? quo?
Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non extinxerit urna cicutæ.
Tun' mare transilias? 8 tibi torta cannabe fulto,
Cœna sit in transtro? 5 Veientanumque rubellum
Exhalet vapida læsum pice 6 sessilis obba?

fere quamvis tenax & deparcus, quin plures pueros aut saltem unum servum habeat ad necessaria bajulanda & ferenda. Alii divisim legunt *puer is*: at rectius conjunctim & unica voce. *3 Ægaum rapias.* Id est seces: sic campum rapere apud Statium. Est autem Ægæum mare interjectum inter Græciam & Asiam minorem. *4 Solers luxuria.* Solers id est ingeniosa in corrumpendis hominum amicis. *5 Veientanum rubellum.* Veii, orum, urbs Hetruriæ non procul ab urbe Roma: hujus incolæ dicuntur Veientes: hinc possessivum Veientanus, a, um. Vinum ergo Veientanum quod Veiis nascitur: *rubellum* autem pro vino vilissimo & ingrati saporis ex agro Veiano; rubellum quia modice & dilute rubet. *6 Sessilis obba.* Obba dolium latum habens fundum; obba sessilis quæ ita humi locata ut sedere quasi videatur.

Paraphrasis. Jam tibi avaritia suasit, ut sibi servires; itaque succinctus ipse, res ad iter necessarias segestri involutas puerorum tuorum humeris imponis, & simul œnophorum id est vas vinarium illorum manibus aptas, ocyus ad navem profecturus, ut illam conscendas Orientis emporia petiturus. Tum vero semoto omni obstaculo per mare Ægæum celerrime navigares nisi luxuria ingeniosa in corrumpendis hominum animis ita te revocaret ab instituto & seorsim ita tecum ageret.

7 Quo deinde insane ruis? Id est, Tu insane Baro quo tandem, quo ruis? quid tibi vis? non tu te respicis? mihi vero insanire videris ex nimio atræ bilis tumore, quo nunc adeo ardes ut ejus fervorem vix extinxerit cicutæ quamvis largiter potæ frigus, Nota Hanc bilem masculam appellat quia masculum reddit animum. Atqui hujusmodi animum criminis loco objicit juveni luxuria in suis castris militanti, cui conveniat potius molli esse & effœminato animo: itaque insanire illum pronuntiat. *8 Tibi torta Cannabe. Sensus.* Tunc (inquit Luxuria) Tune, cum Veneris sis nepotulus, ut super rudente sedens cœnes in navium transtris? Tune dum divitias construere optas & navigationi operam das, hoc vitæ genus tam asperum, tam miserum

seque-

sequeris? Tunc vinum bibes quod infectum sit halitu obbæ picatæ. Nota. Obba dixit quam prius OEnophorum: vas capax & sessilis fuit Romanis. Obba etiam fuit poculi genus, ab obbibo.

1 *Quid petis, ut nummi, quos hic* 2 *quincunce modesto*
Nutrieras, pergant avidos sudare deunces?
Indulge Genio, carpamus dulcia: nostrum est
Quod vivis; cinis, & Manes, & fabula fies.
Vive memor lethi, fugit hora. hoc, quod loquor, inde est.
3 *En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo:*
Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos; 4 *alternus oberres.*

1 *Quid petis, &c. Argumentum.* Pergit luxuria vel Persius sub luxuriæ persona Baronem ad otium hortari.
2 *Quincunce modesto.* Nummos nutrire, & ut apud Persium, nummos pascere, est usuris pecuniam augere. Duplex hic notatur usura, levis & gravis: illa quincunce, hæc deunce significatur.

Paraphrasis. Quid petis, ô Dama? vis nempe majore cum quæstu pecuniam tuam exercere. Potes in urbe, in otio, quinos pro centenis lucrifacere quotannis: quæ usura mediocris est: at hoc non sufficit avaritiæ tuæ: & undenos nummos cupis ad sortem adjicere, & pergis magno labore & sudore deunces usuras colligere, non quincunces quæ nullo labore proveniunt. Quin tu potius si sapis, ô Dama, indulges genio tuo & voluptuariæ vitæ? sane, Dama, ea demum pars vitæ tuæ quam mihi, id est, voluptatibus impendis, vera vita est. Memineris te mortalem esse ac brevi in cineres corpus hoc tuum resolutum iri: in nihilum redibit brevi hæc tua vita: nec minus evanesces quam fabula aut manes, de quibus multa fabulantur & nugantur poetæ. Vive igitur memor mortalitatis tuæ: velocissime hora omnis prætervolat: atque adeo hoc ipsum temporis momentum, quo hæc tibi dico, pars est decerpta inde; quæque ubi perierit nunquam sit reditura; nempe per singula momenta vita nobis perit: semperque ex quo vivere cepimus morimur: non repente in mortem incidimus, sed minutatim procedimus, juxta illud Manilii, *Nascentes morimur, finisque ab origine pendet*

Nota. En ut fallit virtutis specie luxuria. Hæc enim mancipium istud suum à turpi fœnore dehortatur, argumento arrepto à vitæ brevitate, non secus ac si virtus ipsa loqueretur At venenatus hic Syrenum cantus est; cum vitæ brevitas ad virtutem, pietatem, & honestos labores stimulare nos debeat potius quam ad Epicureorum non inanes modo sed & damnosas voluptates: siquidem non sine certissima animæ pernicie voluptatis mancipia eas sequuntur.

3 *En quid agis, &c. Argumentum.* Ex proposito jam exemplo colligit Persius Damam miserrimum esse mancipium, 4 *Alternus oberres.* Id est alternis vicibus, modo ab avaritia ad luxuriam, modo rursus à luxuria ad avaritiam transmigres aut transvoles. Sic supra, quantum non milvus oberret, id est circumvolitet aut transvolet.

Paraphrasis. En quid agis, miserrime Dama? in diversa duplici hamo raperis. Hinc enim ad lucri studium & navigationem impellit te avaritia: inde vero luxuria te aggreditur & ab immodico ille lucri studio ad voluptates te revocat. Cumque graves hi domini alternis vicibus imperent, alternis obsequare necesse est: ac nunc avaritiæ, nunc luxuriæ alternis vicibus subjicieris.

1 Nec tu, cum obstiteris semel, instantique negaris
Parere imperio, Rupi jam vincula dicas.
Nam luctata canis nodum arripit: attamen illi
Cum fugit, à collo trahitur pars longa catenæ.
2 Dave, cito, hoc credas jubeo, finire dolores
Præteritos meditor: (crudum Chærestratus unguem
Abrodens ait hæc) an siccis dedecus obstem
Cognatæ? an rem patriam rumore sinistro.
Limen ad obscœnum frangam, 3 dum Chrysidis 4 udas
Ebrius ante fores extincta cum face canto?
Euge puer, sapias: Diis depellentibus agnam
Percute. Sed censen' plorabit, Dave, relicta?

1 *Nec tu cum obstiteris, &c. Argumentum.* A natura igniculos accepimus ad verum inquirendum & quod rectum est amandum; ex his nascuntur impetus quidam ad præclaras actiones: qui tum demum laudem merentur, quando à certo consilio manant & decreto in animo fixo sic semper vivendi: ita ex pluribus actionibus sequitur dispositio, quam usu firmatam sequitur habitus. Habitus autem jam firma res est & quæ non facile mutari metuat: dispositio mutabilis est: ac multo magis primus ille impetus qui etiam in vitiosis ebullit, & ad honesta eos impellit Hoc ipsum est quod Persius hic docet: ubi prudenter vitiosos admonet, ne si quos forte ad virtutem impetus sumpserint statim sibi persuadeant debellatum esse illud vitium, cui prius serviebant. Una enim, ut proverbium monet, hirundo non facit ver.

Paraphrasis. Prolepsis hic est. Dicere enim posset Dama; at quanquam ego hactenus exorbitavi, statui tamen in viam redire, & vitiorum jugum jam incipio excutere: imo ex parte jam excussi. Non enim ita perditus sum amore voluptatum, quin aliquando satias me captura sit. Respondet Persius, falleris, sane falleris, si ubi semel aut iterum pravis affectibus restiteris, & vitiis liberum propterea te esse credideris ac interioris servitutis vincula rupisse. Idque demonstrabo similitudine sumpta à cane. Si canis alligatus sit posti & luctando se inde revellet: nodum quidem exolvit, nondum tamen adhuc liberatum esse dixeris, quia vinculi sui catenas non sine molestia secum adhuc trahit: ita tu, ô Dama, quanquam semel aut iterum avaritiæ aut luxuriæ reluctando liberatus inde tibi videare; nihil minus tamen quam veram libertatem assequutus es: id quod res ipsa probabit. Subinde enim eo unde emersisti relaberis, imo retraheris, subinde ad veteres mores recurres, nisi simul ac semel totum te ac integrum è vitiorum servitute vindicaris.

2 *Dave cito hoc credas, &c. Argumentum.* Affert exemplum vitiosi pœnitentis: sed non bona fide pœnitentis: ideo statim relabitur in cœnum. Locus hic è Menandro transumptus est & Terentii Eunucho, quam constat è Menandro translatam, at personarum nomina sunt mutata, & multo aliter disposita. Chærestratus Menandri, Terentio Phædria est: Menandri Davus, Terentio est Parmeno. Videsis initium Eunuchi. 3 *Dum Chrysidis udas.* Qui ibant commessatum funalia ac faces gestabant; sed quas extinguebant, cum ad fores esset ventum. 4 *Udas fores.* Multiplex fuit juvenum insania in foribus suffundendis, modo lachrymis, modo vino, modo aqua in cardinibus. Nec male referas hoc ad lenarum anuum potationes, de quibus fuse Plautus.

Nu-

Nugaris : [1] ſolea, puer, objurgabere rubra,
Nec trepidare velis , atque arctos rodere caſſes.
Nunc ferus & violens : at ſi vocet , haud mora , dicas,
Quidnam igitur faciam ? ne nunc , cum accerſor , & ultro
Supplicet , accedam ? [2] ſi [2] totus & integer illinc
Exieris , nunc nunc , [3] hic hic , quem quærimus , hic eſt ;
Non in feſtuca , lictor quam jactat ineptus.
[4] Jus habet ille ſui , [5] palpo quem ducit hiantem

1 *Solea puer objurgabere rubra.* Olim meretrices ſolitæ ſic abuti ſtultorum juvenum patientia, ut propter leves offenſas non ſolum colaphis eos cæderent & deſpuerent , ſed etiam ſandaliis illis caput commitigarent, ut ille ait in Terentiana Eunucho. In Paraphraſi ſic diſtinguemus perſonas. Chæreſtratus adoleſcens meditabundus & ad vivum ungues rodens , ita Davum ſervum ſuum alloquitur.

Paraphraſis. Dave,ſubinde Chryſis amica mea me contempſit, unde non mediocris dolor animum mihi exedit : at dolorem hunc , crede mihi , ſtatui jam tandem finire & ejus amori prorſus in poſterum renuntiare. Egone per infamiam & nominis jacturam ad obſcœnas meritricis fores patrimonium imminuam & perdam, nec amicorum meorum frugi ſalutaribus monitis morem geram, quibus me hactenus dedecori fuiſſe plane agnoſco , dum ebrius ante fores Chryſidis extincta face carmine ſcilicet eam demulceo , & de dura mea ſorte conqueror jam extruſus? Davus reſpondet: Euge Chæreſtrate here,tibi gratulor adverſus voluptatem fortiter jam pugnanti, cumque jam ex ingenti periculo evaſeris, agnum diis Averruncis mactato. Davo fideliter monenti reſpondet Adoleſcens, dum priori affectui iterum cedit: Atenim Dave metuo ne Chryſidi relictæ doloris cauſam præbeam ; nunquid quæſo à me relicta illa flebit ? Davus inde hæc reponit: Nugas here agis , cum dicis te velle priores dolores finire. Ego ſane purabam ſerio te levitatis tuæ pœnitere , at nihil minus fit. Ecce enim ad ingenium redis. Vel ſic: Lepidus nugator es cum vis videri miſericordia duci propter Chryſidis lachrymas. Quin tu potius te miſerare ? ipſe enim es qui ab amica vapulabis , tanta ſcilicet mollities eſt animi tui. Ne vero in poſterum vacilles & dubius reluctéris: neque audeas præpropere ſubſtrahere collum jugo aut tentare effugium arrodendo laqueos , quod irretitæ ſolent feræ, quamquam tute tecum iratus nunc cogitas, Egone illam ? quæ illum, quæ me &c. ut Phædria Terentianus. Nimirum inſultat hic Chæreſtrato Davus. Quaſi dicat, Stulte,tu liberum te putas? atqui ſervus ac miſer es & futurus es etiam poſthac ſemper, ſine ſpe libertatis. Quare aſſueſce jugo mature, & ad omnem patientiam te para ; hinc ſubjicit Chæreſtratus illud Terentii ad verbum. *Quid igitur faciam? non eam ne nunc quidem Cum accerſor ultro*——

2 *Si totus & integer.* Sunt Davi verba conſilium dantis Chæreſtrato , ut in propoſito animum obduret. 2 *Totus & integer.* Et animo & corpore: Quod fiet ſi animus tibi non frangatur ex amoris affectu, ſi totum illum ex animo excutias. 3 *Hic hic quem quærimus hic eſt.* Concluditur digreſſiuncula de Chæreſtrato. *Senſus.* Is qui totus & integer è retibus ſervitutis hujus interioris evaſerit & in hoc propoſito firmiter perſeveraverit, hic nempe,hic eſt ille libertus quem quærimus. Liberior ſane eo qui à Prætore vindicta ſeu feſtuca ictus manumittitur. 4 *Jus habet ille ſui, &c. Argumentum.* Jam tranſit ad aliud exemplum hominis qui ambitioni ſervit , cujus pulchram periphraſin poſuit pro nudo nomine. 5 *Palpo.* Adulatorem appellat hominem ambitioſum,nempe omnibus aſſentantem ut ſolebant candidati prenſantes.

Cre-

1 *Cretata ambitio ?* 2 *vigila , & 3 cicer ingere large,*
Rixanti populo , nostra ut 4 Floralia possint
5 *Aprici meminisse senes. quid pulchrius ?* 6 *at cum*
7 *Herodis venere dies,* 8 *unctaque fenestra*
Disposita pinguem nebulam vomuere lucernæ
Portantes violas , rubrumque amplexa catinum
Cauda natat 9 *thynni , tumet alba fidelia vino :*

1 *Cretata ambitio.* Candidati & petitores magistratuum non contenti insito lanæ candore, cretam addebant in vestem ut splenderet. Ducere autem candidatum dicitur ambitio, quia ejus causa facit omnia. 2 *Vigila.* De labore & vigiliis candidatorum multa Cicero variis locis. Hic autem respicit officia salutationum, quas ante diluculum inchoabant. 3 *Cicer ingere.* Missilia intelligit, inter quæ & cicer frictum erat. In horum missilium collectione in theatro rixæ plerunque oriebantur. 4 *Floralia.* Flora meretrix fuit, quæ cum magnas opes corporis quæstu quæsivisset, populum Romanum scripsit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur editione ludorum quos Floralia vel ludos Florales appellabant: ut vero pudendæ rei quæreretur dignitas, deam finxerunt esse, quæ floribus præsit, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus & vitibus bene prospereque florescerent. Per floralia autem hic intellige omnes ludorum species quos edebant magistratus popularem gratiam captantes. 5 *Aprici senes.* Apricatio senili ætati convenientissima & gratissima. Solent autem senes in sole hiberno apricantes circa meridiem loco calidiore de hujusmodi nugis garrire. Hinc liquet cur dixerit *aprici senes.*

Paraphrasis. Ut avari & luxuriosi servi sunt, ita & ambitiosi. Nam quæso nunquid eum liberum & juris sui esse dixeris, qui assentando gratiam popularem captat honoribus inhians, quique candidatus in comitia descendit, qui totus ambitioni servit? quæ his eum vocibus mane exsuscitat. Quandoquidem salutationum officia ante diluculum inchoanda sunt, evigila ut salutantes humaniter excipias, eosque sic tibi concilies. Age, muneribus, missilibus & ludis edendis populum tibi demereto in Ædilitatu tuo, ut ad cæteros honores viam tibi sternas; utque multo post senes inter apricandum te tuosque ludos deprædicent. Quid pulchrius, quid gratius assequi potes?

6 *At cum Herodis, &c. Argumentum.* In extrema hujus satyræ parte teterrimum servitutis genus tangit sub domina potentissima superstitione. Romanis religio fuit Deos patrios patrio more colere: superstitio vero vel deos peregrinos vel etiam suos peregrinis ritibus colere. Itaque Persius hic agens de superstitione, exempla ponit eorum hominum, qui Judaicis aut Asiaticis aut Ægyptiacis ritibus Romæ uterentur. 7 *Herodis.* Judæos hic tangit & potissimum Herodianorum sectam, qui & Hierosolymis & alibi Herodis festum magna solennitate colebant. Dies ergo Herodis sunt dies natalis Herodis: item dies suscepti apud Judæos regni, aut si quos alios Judaica superstitio addiderat. 8 *Unctaque fenestra.* Modum ostendit quo dies Herodis ab Herodianis colebatur. Festorum enim dierum alii hilaritate & epulis transiguntur, alii planctu, jejuniis, & varia imitatione tristitiæ. Utriusque generis exemplum hic ponitur è Judaicis ritibus. Herodiani igitur diebus Herodis omnia lætitiæ signa edebant. Eo pertinent lucernæ accensæ & epulæ lautæ quarum hic meminit Persius. 9 *Thynni.* Thynnus piscis marinus est qui mense Maio copiosissime capitur in freto Gaditano, non parvo Gaditanorum quæstu: Hos enim retibus extractos & membratim dissectos saliunt & in cadis asservatos celebri mercimonio per omnem Europam diffundunt.

Para-

Paraphrasis. At vero aliud est servitutis genus longe teterrimum, superstitio nempe, qua fascinati miserrimam & inquietissimam vitam agunt. Ac primo in Herodianis videre est quid possit superstitio, cum Herodis dies colendi fuerint, tum, ut lætitiæ suæ signa edant, lucernas accendunt, quæ certo quodam ordine dispositæ per fenestras, fenestras inungunt, & fuliginem instar crassæ cujusdam nebulæ evomunt & effundunt. Quin & fenestras ac januas domorum violis coronant. Et ut dicamus de conviviis quæ die Herodis Herodiani exercebant, cauda thynni in grandi catino fictili & miniato apponitur, cujus caudæ tanta amplitudo est, ut ab utraque parte catini promineat. Et ne vinum interea desit, adest etiam ex albo stanno œnophorus & alia id genus vasa plena.

1 Labra 1 moves tacitus, recutitaque 2 sabbata palles.
Tunc nigri Lemures, ovoque pericula rupto,
3 Tunc grandes 4 Galli, & cum sistro 7 lusca sacerdos,
5 Incussere Deos 6 inflantes 6 corpora, si non

1 Labra moves tacitus, &c Argumentum. Hæc separanda à prioribus: nam de aliis ritibus agit Judaicæ superstitionis, ut Romani loquebantur, qui non solis Herodianis sed omnibus Judæis erant communes. *1 Labra moves.* Labra movere eorum est, qui murmure & humili susurro vota concipiebant. *2 Sabbata palles.* Judæi circumcisi, seu ut loquitur poeta, recutiti, cum sabbatum celebrarent, jejunia non raro sabbatis exercebant, & neglectu cultus atque operis cessatione diei tristitiam insigniebant: hinc pallor.

Paraphrasis. Frequentas Judæorum proseuchas, & una cum ipsis murmure vota tua ibi concipis & jejunia sabbatis exerces, unde pallorem contrahis. Et, ut alia commemorem deliræ superstitionis exempla, *tunc*, id est postquam pervasit & occupavit superstitiosorum animos anile hoc vitium, nigri lemures id est larvæ nocturnæ & imaginum terrificationes timentur & pericula ovo rupto: quia (ut vetus interpres ait) Sacerdotes qui explorandis periculis sacra faciebant observare solebant ovum igni impositum, utrum in capite an in latere desudaret. Si autem ruptum effluxerat, periculum ei portendebat vel rei familiari ejus pro quo factum fuerat periculum.

3 Tunc grandes, &c. Argumentum. Alias insuper addit superstitionum ineptias. *4 Galli.* Gallus Cybeles sacerdos, à Gallo Phrygiæ fluvio, cujus aquam qui gustassent, reddebantur insani. Tangit hic Cybeles & Isidis sacra, adeoque Ægyptiorum superstitiones. Cybele autem Saturni uxor, magna deorum mater. Isis autem ab Ægyptiis numinis loco est habita, cum prius Io dicta esset. Vide Ovid. 1 Met. Hujus sacerdotes dicti erant Isiaci. Ut autem cymbalum insigne erat sacerdotum matris Deûm, sic Isiacorum sistrum, id est crepitaculum æneum. Galli autem grandes dicuntur ob stultitiam & infulsos mores, ut statim post —— *Vulfenius ingens. & supra.* —— *Caloni aptaveris alto.* Et similia multa. *5 Incussere Deos.* Incutere est quatere arma ad terrorem: ita Galli & Isiaci terrore suorum Deorum infirmos animos implebant. *6 Inflantes corpora.* Syri homines atque Ægyptii obnoxii erant ulceribus tetris quæ vocata sunt Ægyptiaca ac Syriaca. Hæc ab ira Deæ Syriæ Syri, ab ira Isidis Ægyptii sibi illa ulcera venisse persuadebant. Eorum vero fatuitati egregie illudebant utriusque Deæ sacerdotes, qui negligentibus imperium suum deos incutiebant suos. *6 Inflantes corpora.* Dii corpora inflantes Cybele & Isis, illa furore inflans, hæc morbis.

7 Lusca sacerdos. Referendum hoc ad vitium corporis. Quo fortasse vitio laborabat, cum hæc scriberet Persius, sacerdos aliqua quam hic obiter quasi designat.

Præ-

Prædictum ter mane [1] *caput gustaveris alli.*
[2] *Dixeris hæc inter* [3] *varicosos Centuriones,*
Continuo [4] *crassum ridet* [5] *Vulfenius ingens.*
Et centum Græcos curto centusse [6] *licetur.*

1 *Caput alli.* Apud Plutarchum incutitur Dea Syria iis qui vetitum aliquid comederint, ut pisces: nam Syri piscibus abstinebant. Qui tale aliquod peccatum admisissent pro expiatione illius peccati jubebantur abstinere aliquo ciborum genere, aut certo dierum numero mane aliquid esitare, puta caput allii. Quia id amuletum magicis incantationibus fortasse resistit, & inde superstitio illa quod allium adversus inflationes efficax.

Paraphrasis. Tum vero ubi jam animus totus incurabili superstitione fuerit depravatus, consuluntur Galli & Isiaci sacerdotes, qui terriculamentis & inani metu consulentes percellunt & pessima quæque illis portendunt, quæ à consulentibus facile negligi imo contemni possent, si vel mica illis esset judicii. Tam ridicula enim proponunt remedia, puta comedere mane caput allii aut tale quid, ut hinc eorum imposturas & technas nullo negotio possit quis percipere.

2 *Dixeris hæc inter, &c. Argumentum.* Conclusio partis illius satyræ hujus, qua Stoicorum paradoxon tractatum est. Summa. Hæc Stoicorum scita de vera libertate utcunque derisuri sint stupidi milites, vera tamen sunt.

3 *Varicosos.* Hic varix, icis, penultima brevi, est vena plus æquo tumida in temporibus & aliis corporis partibus, potissimum in cruribus, & ex nimio labore plerunque nascuntur varices. Hinc varicosus, qui hujusmodi venas tumidiores habet. 4 *Crassum ridet.* Respicit Græcum epitheton παχὺς γέλως. 5 *Vulfenius.* Per synecdochen sumitur hic miles pro quolibet milite glorioso & literarum osore ac contemptore. 6 *Licetur.* Nota hic quod rarum alias in Grammatica. Verbum in (o) passivæ est significationis: idem in (or) activæ est. Liceo est indicor: liceor est indico.

Paraphrasis. Non nescio quæ di putavi de servitute vitiorum & unius Sapientis libertate, parum imperito vulgo probari. Sed judicium illorum nihili faciendum, quod ab omni eruditionis cultu sint alienissimi. Inde alto risu excipiunt hæc Paradoxa hujusmodi Misophilosophi milites. Quin philosophia illis usque adeo contemptui est, ut pronuntient non sine risu se philosophum, quem differentem audierint, non assis facere unius ne curti quidem. *Vel,* Se centum philosophos non totidem assibus esse empturos.

A. PER-

A. PERSII FLACCI
SATYRA SEXTA.

Argumentum hujus Satyræ habet illud Horatii:

Parcus ab hæredis curam nimiumque severus
Assidet insano -----

Satyræ tres sunt partes. 1. Quærit à Cæsio Basso sibi amico & poeta Lyrico (ad quem dirigitur hæc satyra), an in Sabinos suos adhuc secesserit, quid rerum agat, & quo genere scribendi se exerceat. 2. ipse vicissim, ubi sit, quid agat, ut fieri solet in epistolis ad familiares, exponit: in ora Ligustica esse & in virtutis stadio quotidie proficientem, vitia paulatim exuere. Duo nominatim vitia tanguntur: ambitio & cupiditas divitiarum. Sed prius illud verbo solum attingitur: ab altero quam sit alienus, & quam virtutis ejus sit amicus quæ legitimum divitiarum usum ostendit, multis versibus docet. Hæc vero virtus Latinis liberalitas est. 3 parte satyrica libertate in eos invehitur, qui præclara hac virtute destituti contrariis vitiis inserviunt. Cum autem liberalitati multa diversa vitia opponantur, quæ ipsam in medio positam utrinque cingunt, Persius de eo potissimum loquitur in hoc carmine, quod in dandi expendendive defectu est positum & illiberalitas dicitur. Hinc maxima hujus satyræ pars in redarguenda eorum stultitia versatur, qui vel usum opum rectum ignorent, vel parandarum certum modum. Atque hæc totius hujus satyræ œconomia est atque argumentum.

1 *ADmovit jam [2] bruma foco te, Basse, Sabino?*
[3] Jam-ne lyræ & tetrico vivunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia vocum,
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ,
Mox juvenes agitare jocos & pollice honesto

1 *Admovit jam bruma foco, &c. Argumentum.* Ad Cæsium Bassum eximium poetam Lyricum scribit: rogatque num apud Sabinos hybernet, ibique cantu se oblectet, dum ipse in Lunæ portu hyemat.

2 *Bruma:* Romani viri docti qui tempora sua inter negotia & studia dividebant, à Vulcanalibus, cum jam incipiunt noctes fieri productiores, circa Augusti finem lucubrare incipiebant. Iidem multum secessu utebantur, non animi & valetudinis

dinis tantum causa per æstatem: sed etiam quovis tempore ad lucubrandum. Poetæ præsertim & alii scriptores, qui memorabile aliquid vellent pangere. Hac fine videntur soliti exire Roma Persius & Cæsius Bassus, & in agros secedere, quos habuerunt, hic quidem in Sabinis; Persius vero in agro Lunensi qui in Hetruriæ ora est. 3 *Jamne lyra.* Lyrici carminis argumenta hic notentur. 1. Deorum, Heroum & Heroinarum encomia. 2. Veterum rerum primordia, & severiora hæc argumenta severo potius carmine quam dulci canebantur. 3. Juvenum lascivia & convivantium honesti joci juxta illud Horatii: *Musa dedit fidibus divos puerosque deorum, Et pugilem victorem & equum certamine primum, Et juvenum curas & libera vina referre.* 4. Laudes vitæ senilis otio & quieti redditæ.

Egregios lusisse senes? 6 *Mihi nunc* 1 *Ligus ora*
Intepet, 2 *hybernatque meum mare, qua latus ingens*
Dant scopuli, & multa littus se valle receptat.
Lunaï portum est operæ cognoscere, cives;
Cor jubet hoc Enni, 3 *postquam destertuit esse*
4 *Mœonides* 5 *Quintus, pavone ex Pythagoræo.*
7 *Heic ego* 8 *securus vulgi, & quid præparet* 9 *Auster*
Infelix pecori: securus, & angulus ille
Vicini, nostro quia pinguior; etsi adeo omnes
Ditescant orti peioribus, usque recusem
Curvus ob id minui senio, aut cœnare sine uncto,

1 *Ligus ora.* Liguria hic significatur, Macra Italio fluvio ab Hetruria discreta: Liguriæ finibus adscribit Lunæ portum, quia primum erat Hetruriæ oppidum juxta fines Liguriæ.

2 *Hybernatque meum mare.* Nempe Hetruscum. Persius enim patriam habuit Volaterras in Hetruria. Vide Persii vitam. Hybernare autem hic pro sævire sumitur.

3 *Mœonides.* Mœon pater fuit Homeri, unde Homerus dictus est Mœonides: ejusque carmina Mœonia carmina passim à Poetis nominantur, Mart. *Perlege Mœonio cantatas carmine ranas.* 4 *Postquam destertuit esse Mœonides.* Hellenismus pro destertuit se esse Mœonidem; sic: In medios sensit delapsus Achivos. Destertuit autem pro stertere sive somniare desiit.

5 *Quintus pavone ex Pythagoreo.* Ennius in principio Annalium suorum refert se in Parnasso monte somniasse animam Homeri per μετεμψύχωσιν in se transmigrasse, quo respiciunt fortasse verba illa in prologo hujus operis: Nec in bicipiti somniasse Parnasso Memini. Sed cur Quintus? vel refertur hoc ad prænomen Ennii, ut sensus sit, postquam è Pavone Pythagoreo factus esset Q. Ennius, vel ordinem respicit transmigrationis illius de qua supra; 1. Euphorbus. 2. Pythagoras. 3. Pavo. 4. Homerus. 5 Ennius. His omnibus & quidem hoc ordine una eademque anima communis ex Ennii somnio. Vide Hor. od. 28. lib. 1. od. *Te maris & terræ, &c.*

Paraphrasis. Ecquid in agro Sabino quo secessisti hyematurus lyricis usque vacas carminibus, & quidem graviore seu severiore plectro & stilo quam Horatius? mirus enim & peritus es artifex ad aptanda cytharæ numeris argumenta seria & gravia, seu theogoniam & mythici temporis historiam Latino & masculo lyrico carmine persequaris, seu virorum fortium encomia, seu ἐρωτικὰ & juvenum amores & honestos sales, seu laudes tranquillæ senectutis & eorum qui placide ea fruuntur.

6 *Mihi nunc ligus ora. Sensus.* Quod ad me attinet, ego nunc fruor tepore maris Ligustici commoti vehementius, ut per hyemem solet. In hac maris Ligustici

Ligustici ora versor, ubi Lunæ portus, oppidum ita dictum quod ejus littus scopulosum vallem interius includat, adeoque lunæ formam & curvaturam exhibeat. Quod si cupis amplius cognoscere situm horum locorum, memineris Ennianæ illius descriptionis in Annalibus quæ ita incipit. *Lunai portum est opera cognoscere cives.* Atque hac descriptione usus est Ennius, postquam desiisset somniare se è Pavone Pythagoreo factum esse Q. Ennium.

Nota. Cor Ennii, id est ipse Ennius. Alludit ad tria corda quæ Ennius habere se dixit, quod Græce, Osce, & Latine sciret.

7 *Hic ego securus vulgi, &c. Argumentum.* Jam quibus studiis in hoc secessu incumbat, ostendit. 8 *Securus.* Securitas hæc de qua Persius sentit illa est quam conciliat sui studiosis sola virtus: cujus ista est laus propria quod animos omni perturbatione affectuum liberatos in securo tranquillitatis portu collocet. 9 *Auster.* Auster pecori infelix dicitur quia propter æstus gravissime solent laborare pecudes; unde morbi sæpe & pernicies magnæ & gregum & armentorum.

1 Et signum in vapida naso tetigisse lagena.
2 Discrepet his alius: geminos 3 horoscope 5 varo
Producis genio: solus natalibus, est qui
Tingat 6 olus siccum 7 muria vafer in calice empta.
Ipsa sacrum irrorans patinæ piper. 11 hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. 12 utar ego, utar,
Nec 8 rhombos ideo 9 libertis ponere lautus,
Nec tenuem solers turdorum nosse 10 salivam.

1 *Et signum in vapida.* Duplicem hic habes notam minutissimarum sordium: prior lagenas obsignare, in quibus non vinum sit, sed vappa: deinde cum resignatæ sint, tanto studio observare an salva & integra sint signa, ut naso contingat lagenas.

Paraphrasis. Hic ago ego parum sollicitus quid de me vulgus judicet, neque enim è judicio vulgi pendeo: quod proprium est ambitiosi & gloriæ cupidi. Tantumque in virtutis studio profeci, ut paratus sim ad congrediendum cum fortuna. Ad opes quidem quod attinet, usque adeo alienus sum à divitiarum cupiditate & avaritia, ut de gregibus & armentis non admodum laborem. Quin & aliud vitium vere à me amoliri possem, invidiam nempe, quæ fere comes solet esse avaritiæ: nec invidia solum careo, sed ne justæ quidem indignationis sensum habeo: etsi enim videam mandari honores, atque altas opes ignobilibus atque indignis donari, non tamen adducar ut dolorem ex ea re ullum capiam; neque præ mœrore atque ægritudine inde consenescam & emaciabor, aut mutatis moribus avarus fiam meis opibus minus liberaliter usurus. Vel, Nolim tamen ob ista demisso esse vultu aut animo, ac per invidiam præproperam senectutem accersere, aut parcius propterea cœnare & sine adipe, quo caules condiendi aut alia quævis pulmentaria.

2 *Discrepet his alius, &c. Argumentum.* Hic transitus commodissimus est ad reprehensionem aliorum. Hæc mihi mens, inquit, aliis forte alia. Nec mirum, nam etiam geminis germanis mores sæpe pugnantes sunt. Idem illustratur duobus item exemplis, præparci & prodigi. 3 *Horoscope.* Quid sit Horoscopus, supra docuimus sat. 5, ad verba illa, *seu nata fidelibus horis.* Horoscopi & morum discrepantiæ illustre exemplum occurrit in Esavo & Jacobo, item in Commodo & Antonino geminis fratribus Marci Imperatoris filiis, in quorum vita nihil quicquam simile: etsi pares fore ex astrorum cursu promittebant Mathematici. 5 *Varo genio.* Id est vario ingenio. Ingenii dator & fictor, ac formator morum censebatur Genius, quem nascendo quisque

que esset consequutus. Inde Horat. *Scit Genius, natale comes qui temperat astrum.* 6 *Olus siccum.* *Uncto oleri* apponit Persius *olus siccum*. Hoc ergo parcimoniam notat: at quoties *suminis* & *uncti caulis* meminit, exquisitas notat delicias, hinc postea, *Unge puer caules.* 7 *Muria.* Muria duo significat: primo aquam salsam in qua aliquid fuit maceratum aut servatum, ut muria cappari: interdum est genus liquaminis, quod ex thynnorum sanie conficiebant, ut garum è scombrorum liquamine. Loquitur autem hic Persius de muria prædura & aspera. Nam quæ tali muria tinguntur pæne sicca remanent. In calice autem muriam emere & similia moris fuit potissimum apud tenuiores. 8 *Rhombos.* Rhombus piscis in delitiis habitus. Synecdochice hic sumitur pro lautis epulis. 9 *Libertis.* Romanorum multi libertos suos honore mensæ non dignabantur, aut certe diversa omnia illis apponebant. 10 *Salivam.* Saliva pro gustu & sapore frequens Latinis ex ratione physica: nam quando anima movetur appetitu aliquid edendi, propter partium sympathiam statim saliva in ore tanquam supplente, pro sua virili, naturâ defectum rei optatæ: quod etiam in aliis affectibus simili ratione potest observari.

Paraphrasis. Alii fortasse aliter sentiunt, fateor, nec idem vitæ genus omnibus probatur, nec morum; cum ne geminis quidem fratribus, quorum idem horoscopus, eadem constitutio cœli ac syderum, quando concepti sive nati sunt, inter se conveniat in ratione vitæ ac morum: diversa enim sunt indole, diverso ingenio. Horum geminorum alter adeo parcus, ut cum dies natalis obeundus, præparce se gerat. Ut enim bonis suis callide & vafre parcat, olus suum prædura & aspera muria tingit, unde siccum remanet; muria, inquam, in calice empta: quod solent parci & sordidi.

11 *Hic bona. Sensus.* Alter vero puer non ætate sed moribus, quippe quod magnificentiam putet veram esse magnanimitatem; hic, inquam, alter puer peragit & absumit omne patrimonium.

Nota. Hæc sunt illa verba quibus amplificatur præparci avaritia. *Ipse irrorato* non coquus, non aliquis servus mediastinus aut diabolaris aliqua ancilla. *Irrorans*, infundens parce & guttatim. *Sacrum piper*, cui parcitur ut rei sacræ.

12 *Utar ego, utar*, Quasi dicat Persius: Gemini illi in extremis sunt, avaritia & profusione; ego medium ferire volo, & tu quisquis es, idem velle debes; nempe liberaliter vivere atque bonis tuis uti, non abuti per miseras sordes aut effusam liberalitatem. Nec nepotum exemplum sequar, qui dum lauti volunt haberi, etiam libertis suis & tenuis conditionis hominibus rhombos apponunt & exquisitiores epulas: nec ita cupediarius, ut turdos assidue esitem: quod fit ab iis, qui turdis sæpe vescuntur, & omnes saporum differentias, si quæ observari solitæ in turdis, egregie callent.

1 Messe tenus propria 2 vive, & granaria (fas est)
Emole, quid metuas? occa, en seges altera in herba est.

1 *Messe tenus, &c. Argumentum.* Liberalitas in duobus posita est, ut scilicet opibus nostris & fruamur ipsi, & aliis eas, qua officium postulat, largiamur. Ad prius membrum duo deinceps sequentes versus spectant. 2 *Vive.* Vivere hic accipiendum pro liberalius (sed intra honestatis fines) genio indulgere: eum opum usum hic definit Persius pro modo opum.

Paraphrasis. Esto liberalis pro modo tuarum opum, neque de annuo reditu reliquum quicquam facias. Quid enim cogitas dum assidue bona congeris in horrea & granaria? quin potius exhauris molendo, ac quotidie liberaliter insumendo? quæ est hæc differentia? quis metus egestatis? vin' tu ponere stultum hunc

hunc metum, & hoc solum curare, ut otiosus ne vivas, sed labores & spartam quam nactus es ornes, atque interea certa fruaris spe non defore laboranti quod futurum sit satis *Vel*, Occa, id est labora, nam de semine occato emerget herbescens viriditas.

1 *Ast vocat officium: 2 trabe rupta, 3 Brutia saxa*
Prendit amicus inops; 8 remque omnem, surdaque vota
Condidit Ionio; jacet ipse in littore, & una
4 *Ingentes de puppe Dei; jamque obvia 5 mergis*
Castæ ratis laceræ. Nunc & 6 de cespite vivo
Frange aliquid; largire inopi, 7 ne pictus oberret
Cærulea in tabula. 9 Sed, 9 cœnam funeris hæres
Negliget iratus, quod rem curtaveris, urnæ

1 *Ast vocat officium, &c. Argumentum.* De altero opum usu loquitur: quem non definit annuo proventu, ut supra priorem definivit: sed necessitate amici egentis; cujus gratia etiam prædia vult vendi & rem partam imminui.

2 *Trabe rupta.* Naufragum describit in freto Siculo jactatum, & qui ad Scyllam tandem fuerit ejectus, in exemplum egeni, cui necessario dare aliquid liberalis homo debeat. 3 *Brutia saxa.* Brutii Italiæ populi in eo tractu qui hodie Calabria dicitur, prope Laum fluvium incipientes & in fretum Siculum in modum peninsulæ procurrentes. In extrema agri Brutii parte sita est civitas olim potentissima Rhegium, ubi Siciliam ab Italia tradunt fuisse abscissam. Inde adjectivum derivatum Brutius, a, um. 4 *Ingentes de puppe dei.* In puppi sacrarium habebant nautæ: ibi pingebatur taurus, leo aut tale quippiam, aut Deus aliquis in cujus tutela navis erat. Itaque ingentes de puppe dei sunt dii navis tutelares. 5 *Mergis.* Mergus avis ita dicta quod cibum captans in aquam se assidue immergat. Hujus avis natura est ut sæpe mergens aurarum signa colligat, & prævidens futuram tempestatem propere è medio æquore revolet & ad littorum tuta cum clamore contendat. Non mirum ergo si naufragorum corpora & costa ratis laceræ mergis, sæviente jam tempestate, occurrant. 6 *De cespite vivo.* Id est prædiis tuis. Cespes vivus prædium dicitur comparatione messis jam aridæ & quasi emortuæ. Per messem autem annuum proventum intellige. 7 *Ne pictus oberret.* Id est ne naufragii tabulam portans hinc inde mendicet. Vide quæ supra notavimus ad Sat. I. v. 90. Cantas cum fracta te in trabe pictum Ex humero portes.

Paraphrasis. At (inquit parcus) non omnia uno anno effundenda, quædam reservanda ut aliis officii partes præstem. Respondet Persius: Quid tu avaritiam tuam officii specie nescio qua velare contendis? Eam ego personam jam jamque tibi detraham. Ecce amicus tuus fracta nave & universa re perdita enatans prendit scopulos Brutii promontorii Siciliam versus, cur non illum relevare properas, ne cogatur stipem emendicare?

8 *Remque omnem.* Data opera Persius amici hujus miseriam exaggerat. Quasi diceret: Non solum naufragium nota, sed & naufragii circumstantias. Naufragus hic amicus ac reliqui naufragi omnem rem amiserunt in mari Ionio interjecto inter Italiam & Græciam: quin & ibi preces effuderunt plurimas, at irritas illas omnes. Ecce amicus tuus in littus ejectus est, & una cum eo navis tabulata atque interea puppis, deorum tutelarium sacraria. Si officii memorem præstare te velis, age, hujus amici memor sis, in eum aliquid eroga, ne cogatur mendicare. 9 *Sed cœnam funeris, &c. Argumentum.* Occurrit parcus: At si quid de fundo & patrimonio imminuam, hæres meus offen-

offensus negabit mihi funebrem apparatum & sumptum. 9 *Cœnam funeris.* Multæ in funeribus cœnæ. Prima illa, quæ in rogum imponebatur: secunda funebris cœna & circumpotatio, epulum nempe quod præbitum his qui reversi ab exequiis: tertia silicernium sive deposita ad sepulchrum. Hæc feralis cœna Juvenali Sat. 5. Quarta epulum novendiale. De his omnibus cœnis Persius accipi potest, præcipue tamen de cœna novendiali, de qua Plaut. in Aulularia Act. 2. Sc. 1. Coquus ille novendialis est, in nonum diem solet ire coctum.

1 *Ossa inodora dabit,* seu *spirent* 2 *cinnama surdum,*
Seu ceraso peccent 3 *casiæ nescire paratus.*
4 *Tu-ne bona incolumis minuas?* 5 *Sed* 6 *Bestius urget*
Doctores Graïos. Ita fit, postquam sapere urbi
8 *Cum pipere, & palmis, venit nostrum hoc* 7 *maris expers,*
9 *Fœniseca crasso vitiarunt unguine* 10 *pultes.*

1 *Ossa inodora dabit.* Ossa & cineres aromatis mista urnæ dare mos erat. De quo ritu poetæ passim.

2 *Cinnama.* Frutex sive arbuscula, præstantissimum exudans odoramentum, quod & cinnamomum dicitur. Surdum autem spirare cinnama dicuntur, quorum odor evanescit.

3 *Casia.* Quid sit casia rixantur Medici. Virgilio herba est suavissimi odoris, Eclog. 2. Tum casia atque aliis intexens suavibus herbis. Casiæ ceraso peccantes sunt casiæ adulteratæ gummi è ceraso.

Paraphrasis. Avari respondentis excusationem hic habemus. *Sensus.* Si in amicos egenos aut naufragos bona tua largius eroges, vereris ne parum magnificum tibi funus ducatur ab hærede; quod hæreditatem ad eum transmissam nimia liberalitate minueris, neque (ut moris erat) in circumpotationibus feralibus & epulis novendialibus laudes tuæ recitabuntur, neque cineres, ossa, & tui corporis reliquias odoribus miscebit: aut sane parvi pendet imminuta jam hæreditate, corruptis an incorruptis unguentis cadaver tibi mortuo perfundatur.

4 *Tune bona incolumis minuas? Argumentum.* Verba sunt futuri hæredis, sumptus reprehendentis non penitus necessarios. *Sensus.* Non debes nunc vivus bona impendere, sed ea servare in apparatum funeris tui. 5 *Sed Bestius urget, &c. Argumentum.* Proposuit Persius modo verba cujusdam hæredipetæ ægre ferentis hæreditatem imminui, quam pridem totam spe devoraverat. Nunc alterius designati hæredis querelam profert.

6 *Bestius.* Cognomen Romanum apud Horatium & alios. Hic nomen est hominis alienæ hæreditati inhiantis. 7 *Maris expers.* Per *sapere maris expers*, intellige Philosophiam transmarinam, id est, Græcam. Ubi nota *expers* vocabulum esse de numero eorum quæ contrarias significationes admittunt: sic *impotens* dicitur, & qui multum & qui nihil potest. Ergo *sapere maris expers* est sapientia mari advecta è Græcia, id est, Philosophia.

8 *Cum pipere & palmis.* Mercibus exoticis ex Asia quæ ad genii curationem faciant. Per palmas autem hic intellige dactylos; hi palmæ fructus sunt.

9 *Feniseca.* Fenisecæ veteres Romani dicuntur, tanquam agrestes quidam & omnis eruditionis expertes. 10 *Pultes.* Fuerunt veteres Romani pultiphagi: at cum luxuriæ assueverunt, lautiores cibos expetiverunt. Crassum unguem pro exquisitis deliciis: ut supra *crassa amoma*, id est eximia.

Paraphrasis. Et quidem imperitus aliquis & philosophiæ rudis crimini dabit vitiosam hanc largitionem, his verbis. Ita se res habet ex quo è Græcia philo-

philosophi in Italiam irrepserunt & philosophia in urbem admissa est. Romani qui antea erant agrestes & omnium deliciarum rudes, pulte mera victitantes, illi vero cœperunt lautius vivere & pultes suas unctis cibis ac exquisitis deliciis permutare. Hanc nempe profusionem, hunc luxum debemus Græcis & disciplinæ exoticæ. Hinc indignabundus Persius hæc subjicit: *Hæc cinere ulterior metuas?* quasi diceret, Has tu minas tui hæredis metues cum eris mortuus? aut nunc vivus metuis quod tibi defuncto minatur? quod si legas sine interrogatione, Concessio erit ironica, ad irridendam eorum fatuitatem qui vivunt misere, suum assidue genium defraudantes, eo impulsi metu, ne cœnam funeris iratus hæres negligat.

Nota. *Cinere ulterior*, pro, cum fueris fato functus.

Hæc cinere ulterior metuas? [1] *at tu, meus hæres*
Quisquis eris, paulum à turba seductior audi.
O bone num ignoras? missa est [2] *à Cæsare* [3] *laurus*
Insignem ob cladem Germanæ pubis, [4] *& aris*
Frigidus excutitur cinis: [5] *ac jam postibus arma,*
Jam chlamydes Regum, [6] *jam lutea gausapa captis.*
Essedaque ingentesque locat [7] *Cæsonia Rhenos,*
Diis igitur, Genioque ducis [8] *centum paria, ob res*

1 *At tu meus hæres, &c.* *Argumentum.* Liberalem eum demum esse ait Philosophus, qui paratus sit hilari animo sumptus facere, tam magnis quam parvis in rebus. Quare Persius ad utrumque liberalitatis genus Lectorem suum pulcherrima hac diatriba instituit. De impensis minoribus hactenus egit; nunc de liberalitate illa subjicit, quæ *magnificentia* propriè dicitur, quod circa magna versetur. Convertit se Persius ad hæredem suum.

2 *A Cæsare laurus.* Caius Caligula cum triumphare cuperet, de simulato hoste falsam, sed quam pro vera haberi voluit, victoriam reportavit. Igitur quasi Germanos longe lateque vicisset, laureatas literas (quæ insigne erant victoriæ jam partæ) ad senatum misit, ut sibi triumphus decerneretur. Simul autem procuratoribus suis in hanc sententiam scripsit, auctore Suetonio: *triumphum appararent, quam minima summa ex ærario publico: sed quantus alius nunquam fuisset: quando in omnium bona jus haberent.* Unde non dubitandum, quin impune in quorumcunque vellent fortunas impetum eo prætextu fecerint. 3 *Laurus.* Si victoria nunciabatur literæ lauru erant implicitæ: si aliquid adversi pinna figebantur. Suetonius laureatarum Caii literarum meminit cap. 44. Sed non illæ sunt literæ de quibus hic Persius: verum aliæ postea missæ, quæ tanquam victoriæ indices triumphum imperabant, cum tamen nihil dignum eo fecisset. 4 *Et aris frigidus excutitur cinis.* Et cum annuntiata erat victoria, & cum ducebatur triumphus, publice privatimque tota urbe fiebant sacra ut passim apud Historicos videre est.

5 *Ac jam postibus.* Inter triumphandum arma & spolia omne genus postibus affigebantur, ut ne quid desit ad fidem conciliandam mimo qui agebatur.

6 *Jam lutea gausapa.* Et gausapa teste Varrone vestes Gallorum, & esseda eorundem erant vehicula: apta igitur erant ornandis iis, qui falso crederentur Germani captivi: nam & illi ex Gallia erant coempti, ut ait Suetonius, non veri Germani: adeo illis temporibus similes erant Galli & Germani & specie corporis & cultu. 7 *Cæsonia.* Uxor Caii Caligulæ: locabat, nimirum per Procuratores. *Rhenos* autem hic ponit pro *Rhenanis*, primitivum pro derivativo: sic supra *Ligur* pro *Ligustico*, & similia. 8 *Centum paria.* Subaudi gladiatorum. Sed quorsum privatus centum paria gladiatorum induceret? in honorem principis victoris decerni solitæ primum supplicationes; deinde

deinde triumphus & ludi victoriæ: atque hæc omnia publice de fisco principis aut populi ærario. Quamobrem hæc largitio quæ hic memoratur, non erat collatio quædam usitata, sed per vim ac metum expressa à Procuratoribus Caii: qui id egerant jussu illius, ut quam minima impensa quam magnificentissime triumphum ipsius celebrandum curarent. Hæc itaque gladiatorum paria, & alia ad sui triumphi apparatum necessaria à privatis extorsit per Procuratores suos & uxorem Cæsoniam Caius.

1 *Induco.* Non *indico*; induco & produco verba sunt arenæ ac muneris. Addit autem ob res egregie gestas ironice prorsus. Revera nihil minus quam triumphum merebatur hic Caligula. Sic supra; insignem ob cladem germanæ pubis.

Egregie gestas, 1 induco. quis vetat? aude.
Væ, nisi connives: 2 oleum, 3 artocreasque popello
Largior; an prohibes? dic clare. Non adeo, inquis.

Paraphrasis. Postquam alios reprehendit, jam quid ipse sentiat ostendit. Quasi diceret, Alius hoc timeat, ego nullus timeo: atque adeo ut tu hæres mi scias me vacuum ab omni hoc metu, narro tibi si nescis, me editionem muneris in animo habere, ob lætum in Germania nuntium. Scis quanti sumptus rem moliar: sed me impensæ magnitudo nihil deterret: quid tu igitur ad hæc? audesne vetare? at væ tibi, nisi ad hanc magnificentiam connives! Nam quo magis vetare conatus fueris, eo majoribus sumptibus hæreditatem, cui inhias, exhauriam. Reliqua paraphrasis è fundamentis sic suppleatur:

At tu meus hæres quisquis eris (quis enim futurus sit nondum mihi constat) audi, & seorsim & in secessu, non coram turba. quia vulgo philosophia laborat invidia & odio. O bone! missæ sunt à C. Cæsare literæ laureatæ & è priore sacrificio derelictus cinis amovetur, ut nova sacra parentur. Locantur passim arma à Cæsonia, parantur coccina paludamenta quibus amicti Reges Germanorum & crocei coloris gausapa, quæ villosæ militares vestes sunt, quibus induti milites Germanorum ducantur in triumpho: locantur etiam esseda Germanorum vehicula, ut monumenta victoriæ: proinde ne deesse officio Imperatori debito videar, atque ita apud Caii Procuratores odium mihi conflem, statui Diis victoriæ hujus auspicibus & Imperatoris Genio inducere centum paria Gladiatorum, qui ad bustum dimicantes se invicem immolent, ad placandas defunctorum animas, quas humano sanguine placari credebat ethnica superstitio. Quis scilicet vetabit id fieri? aude quæso vel hiscere. Væ tibi ô Hæres nisi ad ista connives.

2 *Oleum artocreasque popello, &c. Argumentum.* En aliud exemplum collationum quæ civibus fuerunt imperatæ à procuratoribus Caii ad celebrationem victoriæ illius. Cum igitur moris esset, ut epulum ac visceratio daretur populo à triumphantibus, frumentum etiam viritim divideretur, cum oleo interdum ac nummis, videntur Caii Procuratores ditioribus imperasse, ut suis tribulibus ista largirentur. 3 *Artocreas.* Artocreas, atis, ut simplex χρέας, χρέατος: adeo ut hoc loco artocreas sit cibi genus confectum ex pane & carne minutim concisa; aliis artocreas, visceratio est, nec incommode hæc significatio huic loco convenit. Est enim visceratio crudæ carnis distributio, quæ fieri solebat vel in solenni festivitate vel in funere alicujus excellentis personæ.

Paraphrasis. Quin etiam congiarium & epulum populo largior. Tune hæres illud fieri vetas? noli mussare; dic clare. *Non adeo, inquis*, id est non contradico, non prohibeo. Hæredipeta metuens ne si contradicat, excidat spe hæreditatis de qua hic agitur, mussitabundus respondet, equidem non contradico, age vero, age quicquid factu optimum tibi videtur, per me sint omnia protinus alba, ut alibi loquitur poeta.

Ex-

1 *Exossatus ager juxta est. Age, si mihi nulla*
Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, 2 proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,
Deque avia nihilum superest; accedo 3 Bovillas,
Clivumque ad Virbî; præsto est mihi Mannius hæres
4 *Progenies terræ. quære ex me, quis mihi quartus*
Sit pater, haud prompte, dicam tamen, adde etiam unum,
Unum etiam, terræ est jam filius, & mihi ritu
5 *Mannius hic generis prope major avunculus exit.*

1 *Exossatus ager juxta est, &c. Argumentum.* Persii verba sunt quibus probat non esse cuiquam verendum, ne sine hærede moriatur: quod apud Romanos infamiæ genus esse censebatur.

1 *Exossatus ager.* Id est ad ossa quasi redactus, exhaustus jugi proventu, sine intermissione ac novatione. Juvenalis sat. 8. de exhaustis provinciis, *Ossa vides rerum vacuis exucta medullis.* 2 *Proneptis.* Aliquot cognationis vocabula hic occurrunt, quorum hæ significationes. *Amita*, patris soror: *patruelis nulla*, id est nulla quæ patrui mei sit filia; *patruus*, frater patris: *matertera*, matris soror; *major avunculus*, aviæ maternæ frater Suetonio, at hic apud Persium simpliciter pro cognato quoquo modo. Series generis hic etiam notanda, Pater: avus: proavus: abavus: atavus: tritavus. Ergo per quartum, *abavum* intellige; adde unum, erit *atavus*; unum etiam, erit *tritavus*. 3 *Bovillas clivumque ad Virbî.* Aricia urbs est Italiæ decem millia passuum ab urbe quam ædificavit Hippolytus Thesei filius, qui alias *Virbius* dictus, quod vir bis fuerit & urbem eam sic indigitavit à nomine conjugis suæ Ariciæ, clivus fuit Virbii, id est nemus Aricinum & Nemorensis Diana. *Bovillæ* autem vicus inter urbem Romam & Ariciam in via Appia ubi sedebant mendici: ut Virbii clivus mendicorum etiam statio. 4 *Progenies terræ.* Ex Empedoclis Philosophi sententia nati fuerunt primi homines è terra. Unde præter illa cognationis jura quæ vulgus hominum colit, alia est cognatio qua universi homines sibi invicem conjunguntur: quippe omne hominum genus ab eadem origine & matre terra oriundum est: unde sequitur necessario omnes homines & cognatione inter se jungi. Hinc igitur Terræ filii nuncupati, quorum genus ignorabatur.

Nota. *Hominem* ab *Humo* duxisse veteres Latinos habita hujus communis originis ratione, convenienter Hebræis, penes quos notitia erat veritatis.

5 *Mannius.* Id est mendicus quispiam: ex hoc loco discimus quomodo accipienda vox Mannii in veteri proverbio, Multi Mannii Ariciæ, item ex illo Juvenalis versu, *Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.*

Paraphrasis. Si suspicatus fuero repudiaturos hæreditatem meam hæredes ad quos illa jure pertineat, aut quibus ultro eam delaturus fui: habeo alios tamen fortasse agnatos aut cognatos vel certe affines, qui me, quamvis leviter, aliquo tamen contingant modo. Si omnino superest nullus, tamen ne sic quidem hæres mihi defuturus. Ibo enim Ariciam & aliquem inde Mannium seu Mendicum petam, qui meam defuncti hæreditatem cernat. Hanc sententiam per Mimesin ex Hypothesi tractat Poeta. Quasi diceret, Age fingamus ex omnibus meis bonis solum superesse prædium suburbanum, id est, juxta urbem. Si igitur eo redactæ sint fortunæ meæ, ut meorum nemo superstes sit, quid facto opus? nimirum Ariciam ibo; ubi præsto est Mannius, qui à me non alienus est; quod sic probo. Cognati dicuntur qui in uno tertio conveniunt; Tritavus meus & Mannius in uno conveniunt, Terræ nempe filii ambo: Ergo ego & Mannius sumus cognati. Ista ratione Mannius mihi cognatus esse probatur: non ille quidem proximus: sed tamen cognatus aliquo modo, ritu generis, id est ratione generis si stemma spectemus.

1 *Qui prior es, cur me in decursu* 2 *lampada poscis?*
3 *Sum tibi Mercurius; venio Deus huc ego,* 4 *ut ille*
Pingitur. an renuis? vin' tu gaudere relictis?
Deest aliquid summæ. minui mihi; sed tibi totum est,
Quicquid id est. Ubi sit, fuge quærere, quod mihi quondam
Legarat Tadius, neu dicta repone paterna:
Fœnoris accedat merces; hinc exime sumptus.
5 *Quid reliquum est? reliquum? nunc nunc impensius unge,*

1 *Qui prior es, cur me, &c. Argumentum.* A Mannio ad legitimum hæredem redit, cui afferebat cognatio spem hereditatis Persianæ.

2 *Lampada.* Alludit hic poeta ad agones, cum accensas tædas manibus tenebant. Lampada autem tradebant alii non inter currendum, sed decurso jam spatio. Qui enim in stadio vel posterior fuerit vel jam defessus adeo, ut certamen ultra inire non posset antagonistæ suo lampada suam tradebat, quasi eum jam extra controversiam omnem victorem agnosceret, idque profiteretur.

Paraphrasis. Omitto Mannium: at tu mi hæres, quem natura propiorem mihi fecit quam sit Mannius, & ad quem lege naturali mea hæreditas prius perventura est, quam ad illum: quin missam facis hanc patrimonii mei expectationem quamdiu adhuc superstes sum? Vel, Cur de mea adhuc viventis hæreditate adeo sollicitus es? id sane contra bonos mores est.

Nota. Hic vita cursui comparatur, & cursor viventi; defunctus ei qui inter vivendum defessus sit & ulteriori cursuræ impar; lampas autem hæreditati. Cum ergo hæreditatem non tradat qui vivit, sed qui jam defunctus est; sic ex rationis præscripto hæreditas non à vivente legatore & adhuc vitæ stadium decurrente poscenda est, sed à legatore cum jam vitæ stadium emensus est: jam quo tendat paraphrasis, patet. Neque tamen ignoro aliter hunc versum ab aliis accipi. Perperam an secus, doctorum judicio relinquo: neque enim in his aut similibus locis enucleandis Græciæ res agitur.

3 *Sum tibi Mercurius, &c. Argumentum.* Quo animo obveniens hæreditas suscipi à sapiente debeat, ostendit: nempe eodem animo quo lucra insperata, quæ forte in viis inveniuntur. 4 *Ut ille pingitur.* Mercurium varie pinxit antiquitas: sed poeta hic spectavit ad præsidis lucri picturam: is autem cum marsupio pingebatur. Nota hic dialogismum esse inter Persium & avarum hæredem: in Paraphrasi ergo discrimen personarum designabimus duabus his literis initialibus P. & H.

Paraphrasis. P. Mea hæreditas quanta quanta est existimari debet ἕρμαιον, id est lucrum inventum in via præter spem, Mercurii nempe beneficio. Vin' tu, ô hæres, gaudere bonis tibi à me relictis? age, ea ita accipe quasi marsupium tibi præter spem attulissem. H. At deest aliquid summæ quam animo conceperam, aut quam ipse acceperas à parentibus. P. At si ego bona à Patre mihi relicta minuerim, mihi ipsi minui, non tibi, ô avare hæredipeta. Bona enim hæreditatis ante mortem defuncti, sunt ipsius: quicquid igitur me vivo de bonis meis perit, mihi perit non tibi aut alii cuicunque futuro meo hæredi: quomodo enim aliquid quispiam amittat quod non habet: quicquid ego defunctus reliquero, id totum pro tuo deputa. Interea noli impudenter à me exigere rationem, quid factum sit de bonis quæ mihi testamento reliquit Tadius, id est, hic vel ille. Et noli tantum tibi tribuere, ut pro tua libidine mores meos fingas, sicut parentes faciunt: quorum hæ fere sunt ad filios voces. Olim cum relictam à me hæreditatem administrabis, rem amplifica & fœnoribus auge tuam sortem, *hinc*, id est, ex fœnore non ex sorte sumptus tuos quotidianos

nos eximie. 5 *Quid reliquum? &c. Argumentum.* Ostendit hic quam sit aviditas vitium insanabile. Nam tot rationibus nihil movetur iste avarus hæres.

Unge puer caules. Mihi festa luce coquatur
Urtica, & fissa fumosum sinciput aure?
[1] *Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,*
Cum morosa vago singultiet inguine vena,
Patriciæ immeiat vulvæ? mihi [2] *trama figuræ*
Sit reliqua? ast illi tremat omento [3] *popa venter?*
[4] *Vende animam lucro, mercare, atque excute solers*
Omne latus mundi, ne sis præstantior alter

1 *Ut tuus iste nepos.* Non sine causa prodigum, & quem Græci asotum vocant, Nepotem dixerunt Romani. Nam raro sunt obnoxii ei vitio qui suo sibi labore opes pararunt: sunt enim experti paupertatis incommoda. Quin & naturâ ita comparatum est, ut opera sua ament omnes artifices, sicut patres liberos videmus ac poetas carmina sua. Eandem ob causam sæpe & filii qui prioris paupertatis parentum fuere conscii & sudoris participes, sunt frugi. At horum nepotes, qui neque sudarunt ipsi in quærendis opibus quibus abundant, neque inopiam sunt experti, proni sunt ad luxuriam & alia asotorum vitia, quæ propterea Romani nepotatum vocarunt, & nepotes qui sic viverent. 2 *Trama figuræ.* Trama; æ, subtegmen est, teste Servio, hoc est, filum quod stamini ex transverso intexitur: ita dictum à trameando, hoc est, transeundo, propterea quod stamen iterum atque iterum transeat. E subtegmine fullonis operâ excitantur villi pannorum, quibus absumptis stamen restat. Ergo per tramam intellige hominem macie absumptum & adeo maceratum, ut jam factus sit ossa & lapis, &, ut loquitur Prudentius, nervorum textura. 3 *Popa venter.* Popa Latinis victimarius est: qua notione legitur apud Suetonium & alios: alii pro placentis & libis usurparunt. Neutro modo hic accipit Persius: sed pro popinone & gulofo lurcone: poetica enim licentia tribuit hominis ventri, quod toti homini conveniebat. Ut in superiori paraphrasi distinximus personas, ita & hic. H hæredem, P Persium denotat.

Paraphrasis. H. Si ita, legator, patrimonium tuum expendas, quid quæso mihi reliquum erit? P. Quid audio? quid reliquum futurum sit quæris? tanta certe mea indignatio est ut nihil insuper ex te, avarissime Hæres, audire sustineam. Nunc, nunc quando video divitias meas pluris à te fieri quam vel amorem meum vel etiam virtutis; nunc, nunc inquam, ô famule, lautiorem in posterum mensam appara & caules mihi lautius ac delicatius oleo aut abdomine unge. Egone olere duro & salsamentis misere victitabo, etiam diebus festis, quando alii genio indulgent; Vel, Mihine urtica apponetur, durum & agreste olus, & exigua portio porcini capitis in fumo per aurem perforatam suspensi, ut filius tuus abdomini & ventri serviens, ac pastus jecore anserino, quod Romanis in deliciis fuit, opes non sine magno labore & sudore à me partas & servatas dilapidet; Utque cum cœperit fastidire plebeiam & vulgivagam venerem pecuniæ vi irrumpat in thalamos nobilium virginum ac matronarum? Egone me macerem adeo ut corpus meum tenue & gracilentum evadat instar tramæ, & tantum non σκελετὸν fiam; dum interea tuus ille nepos, tanquam victimarius aliquis hostiarum minister, ventrem habeat gulosi alicujus lurconis probe saginatum?

4 *Vende animam lucro, &c. Argumentum.* Sequitur jam pucherrima coronis hujus satyræ & disputationis contra avaros institutæ. Ubi docet hominis avari cupiditatem esse insatiabilem. Inducit autem cupidum hæredem paterna dicta reponentem, quod paulo ante vetabat.

Cappa-


2 Cappadocas rigida pingues pavisse [1] catasta:
Rem duplica. Feci; jam triplex; jam mihi quarto,
Jam decies redit in rugam, depinge, ubi sistam,
Inventus, Chrysippe, tui 3 finitor acervi.

1 *Catasta.* Catasta vox est Romana, sed Græcæ vel potius Siculæ originis, ut aliæ reliquis Græcis incognitæ. Est autem catasta pegma ligneum in quo mangones mancipia sua vænalia collocabant cum illa vendebant. Ideo autem vænum publice exponebantur, quia qui servos emebant, solebant eos nudare & diligenter perspicere essentne illis omnia membra integra & valida. Neque hoc solum, sed etiam saltare eos jubebant, ut agilitatis suæ specimen darent: palpo etiam subinde percutiebant ac plana manu feriebant ad ostendendam bonam habitudinem & bene curatam cutem suorum mancipiorum. Atque hac notione fortasse hic sumendum verbum *plaudere*. Nemini vero mirum hic videatur *plaudere* cum accusativo jungi, multa siquidem verba à Poetis usurpantur contra usum communem. 2 *Cappadocas.* Id est servos è Cappadocia Asiæ minoris regione, unde, ut & ex Ægypto & aliis regionibus, servi in Italiam transferebantur à mangonibus lucri faciendi studio. 3 *Finitor acervi.* Respicit hoc proverbium ad Soriten qui Chrysippi Stoicorum acutissimi acervus dicitur; quia multum in eo Chrysippus sudaverat, ut finitorem acervi hujus inveniret, sed frustra. Cum ergo spe omni dejectus fuerit inveniendi quod quærebat, inde proverbio locus factus est, ut cum quid impossibile notamus, non magis id fieri posse dicamus quam finitorem Soritæ invenire. Dictus autem Sorites ἀπὸ τοῦ σωροῦ, id est ab acervo, quoniam ex uno concesso ad multas conclusiones acervatim quasi ascendit. Hinc istud argumentandi genus acervum appellat Persius. Exemplum habet apud Ciceronem primo de natura Deorum, quo ostenditur Deum specie figuraque esse humana. Si dii sunt, beati sunt: si beati, virtute prædití: si virtutis compotes, etiam rationis: si rationis capaces, homines sunt. Sed ruit ultima consequentia: nam ratio quidem in Deo est, at non ut in homine. Ille fons, hic pertenuis rivulus.

Paraphrasis. H. Age, ô Persi, redime omnes lucri faciendi occasiones vel jactura vitæ tuæ, ut mercaturam facias, eaque ratione rem augeas. In remotissimas orbis plagas naviga: neque ullus sit tam turpis quæstus qui tibi sordeat. Mangonium igitur exerce, & effice ne sit paratior alter ad coëmenda mancipia quæ à te probe curata & concinnata quam plurimi vænire possint in catasta te circumstantibus proplaudente & percutiente ut bonam eorum habitudinem circumstantibus probes: remque duplo majorem sic redde. P. Feci: imo vero rem triplo majorem reddidi, imo quadruplo: quin decies multiplicavi, &, quasi vestis, decies in rugam rediit. Sed quia nulla auri copia, nulla opum vi avaritiam tuam, ô Hæres, expleri posse video, defini mihi aliquem divitiarum modum, ne in infinitum excurrat hæc cura quam adhibere me velis in congerendis opibus. Sed hæc rei familiaris multiplicatio tanquam tua, Chrysippe, acervatio est sive Sorites. Ut enim Soritis; sic avaritiæ exitus Euclionibus inventu difficilis est, imo potius nullus.

Soli Deo Gloria.

RIT ALPHANUMERIC RESOLUTION TEST OBJECT, RT-1-71



PRODUCED BY GRAPHIC ARTS RESEARCH CENTER

ROCHESTER INSTITUTE OF TECHNOLOGY, ONE LOMB

MEMORIAL DRIVE, ROCHESTER, NEW YORK 14623

